SCRUTINIUM

DE OPINIONIBUS

IN PRAXI DELIGENDIS.

SCRUTINIUM
DE OPINIONIBUS
IN PRAXI DELIGENDIS,


In quo solidè, ac unicè statuuntur morum regulæ, apparentibus Probabilissimi fulcimentis dilucidè examinatis, ac rejectis.

DUABUS INTERPOSITIS APPENDICIBUS,
Quarum unâ Joannes de Cardenas, alterâ verò Nicolaus Peguleti confutantur.

OMNIA JUXTA ILLIBATAM DOCTRINAM
ANGELICI, & QUINTI ECCLESIÆ DOCTORIS
D. THOMÆ AQUINATIS

AUCTORE

P.F. DOMINICO MARIA MOLINARI
DE SARZANA,
Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Professore,
ILLUSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI DD.
AMBROSII SPINULÆ
EPISCOPI LUNEN. SARZANEN. THEOLOGO,
In ejusque Diœcesi, nec-non & San-Severini Synodali Examinatore.





Massæ, Typis Jo. Baptistæ Frediani, & Fratr. Typ. Duc.
SUPERIORUM PERMISSU. MDCCXXV.

STUDIOSO LECTORI
JOANNES BAPTISTA IVANI

Sarzanensis Patritius

FOELICITATEM.

CUM ad manus meas præsens pervenisset Opus, indignum putavi umbris esse condemnandum, quin potius clarissimæ luci donandum, ad Confessariorum præsertim mentem illustrandam: Idcircò rem toti Litterariæ Reipublicæ perutilem me facturum non dubitavi, si Typis evulgandum curarem. Ut statui, ita nunc perficio; & hoc tantum precor, ut ausui meo parcat Author, estò cognatione mihi affinis. Tu Lector, libenti animo suscipe, quod tibi Veritatis amore, ac sincero corde exhibeo. Faxit Deus ut proficias; proficies autem si citra passionem leges. Vale hic, & in æternum valeas.

CUm Opus, cui Titulus *Scrutinium de opinionibus in praxi deligendis; Authore P. F. Dominico M. Molinari de Sarzana Ordinis Praedicatorum S. Theologiæ Professore, Illustriss. ac Reverendiss. DD. Ambrosii Spinula Lunen. Sarzanen. Antistitis Theologo, ejusque in Diœcesi, necnon S. Severini Synodali Examinatore*, attentè perlegerim, nihilque in eo Orthodoxæ Fidei dogmatibus, bonisque moribus dissonum, quin imo mira undequaque doctrinæ eruditione refertum, validissimo rationum præsidio munitum, conscientiarum indemnitati apprimè consulens, proindeque Confessariis, aliisque S. Theologiæ Professoribus plausibile, ac perutile deprehenderim; Illud propterea prælo, si iis, ad quos spectat videbitur, dignissimum censeo Kalendis Junii anno septingentesimo vigesimo quarto supra millesimum, Ego Franciscus Stecca Insignis Collegiatæ S. Petri de Massa Canonicus, & pro S. Inquisitionis Officio librorum Censor &c.

Die 13. Septembris 1724.

Imprimatur Fr. Jo. Franciscus Arrighius. Augustin. Commiss. S. Officii Massæ, & Carrariæ &c.

Joseph Guerra Massæ Abbas pro Illustriss. & Reverendiss: DD. Episcopo.

Scipio Comes de Jandominicis pro S. C. S.

PRÆFATIO AD LECTOREM.



Uid de me mirans dicturus sis (amice Lector) en prævideo, quod de primo Israelitarum Rege stupentes dicebant non-nulli, Num & Saul inter Prophetas [1. *Reg.* 10. 11.] *Interea dum inter tot alios prodit præsens meus Tractatus, id præseferens quod includit, claram quippe illius falsitatis detectionem, qua plena sunt ea morum documenta, quæ veram, sanamque Theologiam hactenus excruciare, multòque magis Fidelium, ac Sacerdotum Confessiones Fidelium excipientium animabus obesse nec desierunt, nec etiamnunc desinunt. Desines autem tu mirari, si perpendes me quantumvis indignum, discipulum tamen esse magni illius Thomæ, qui præ abundantia sapientiæ suæ* Prophetas facit Successores post se. (*ex Eccli.* 48. 8.) *Quidni & ego tali fratus præsidio, ejus generis Prophetarum laudabilem chorum ingredi ausim, quibus cum insigni laude, Sancti Doctoris Spiritu, ac Sapientia insignitis, hæresibus extinctionem, vitiis censuram, laxarum opinionum Scriptoribus correctionem, Veritati demum triumphum prædicere fuit cœlitus concessum? Quod & eò fortiori aggredior animo, quò me fortius impellunt, & ferè compellunt duo: Unum ut Amicorum votis, ac Superiorum voluntati morem geram, quod Opellam hanc, transacto integro annorum novem supra viginti in Philosophia, ac Theologia tam speculativa, quam morali legenda cursu, a me compositam publicæ utilitati haud parum profuturam senserint. Alterum an-*

autem, quod ex indefessis in re morali studiis, magnam laxarum falsarumque opinationum in perditionem Fidelium, ex recentiorum Casuistarum scriptis depromptarum, copiam, nec-non ex assidua Pœnitentiæ Tribunalis praxi, funestam in dirigendis animarum conscientiis Confessariorum ignorantiam mihi contigerit detexisse. Hos ut in ediscenda veritate instruere valeam, Opus morale speculativum simul, ac practicum, Deo dante, sum editurus, in quo præcipuas, ac fundamentales eas discussurus sum Quæstiones, quæ pro Sacerdotibus ad Confessiones rectè excipiendas sufficienter instruendis sunt aptiores. Verùm præpediente me tum continuo legendi, concionandi, & Confessiones audiendi officio; tum superadiuncta corporali valetudine, studiorum præsertim causa contracta, quominùs exequi valeam quod decrevi, decretumque meum propositum interveniente morte forsan evanescet: Idcirco exiguum hoc Volumen [quod aliàs pars una foret illius] separatim præmittendum duxi; quo ex ea re, quæ inter cæteras res morales præcipuum (ni fallor] obtinet locum, collucescat veritas interim illustratura nedum Candidatos, verùm etiam ipsos [si qui sint inter Confessarios aliosve Altaris Ministros] quorum obscuratæ menti impressa hæreant pseudo-principia, quibus nimis pleni sunt libri Casuistarum quamplurium, & qui in dies subiecto prælo in lucem eduntur. Cæterum spes est mihi futurum quod est in votis. Siquidem tota illa, quam tibi propino, doctrina, ex genuina Theologorum Principis, mei, totiusque Orbis Magistri doctrina est deprompta: Qui cum sine ullo prorsus errore *scripserit, ut fert Authentica Clem. VIII. (in Brevi ad Neapolit. anno* 1603.) *cumque contineant illius Codices* Doctrinam veridicam, *prout declaravit Urb. V. [in Bulla incipiente*

Lau-

Laudabilis Deus, anno 1370.) & Veritatem Sententiarum, *juxtà Inn. VI. Oraculum (in Orat. de laudibus Divi Th.), hinc, inquam, nullo negotio inferes, hunc quoque Tractatum* Veritatem *complecti, & consequenter propositiones, Doctrinæ hic stabilitæ oppositas, esse falsas. Quoniam autem Veritas est ex sua natura manifestativa sui inter tot opiniones falsas, a moderno Probabilismo, videlicèt a ficta quadam Veri apparentia adinventas, certus esto quod postquam pacato animo, rectaque inveniendæ Veritatis intentione Opus hoc perlegeris, ejusdem Veritatis lumine collustratus, doctus, sanusque Moralista, imò & idoneus animarum OEconomus (si hoc meæ ad bonorum Largitorem fusæ preces merebuntur) efficieris.*

Tria tamen sunt, quorum te monitum velim.

Primum est propter non paucos ex Clericorum numero, quos mihi satis constat esse Dialecticæ Facultatis prorsus ignaros, ac proinde vocabulorum majoris, minoris, antecedentis &c. *penitus inscios: Hinc quamvis contra inclinationem mihi propriam, inter explicitè probandas meas propositiones, dictorum vocabulorum usu Scholasticas formalitates prætermisi; sine quibus implicito modo, probationes argumentis prout opus erat inserui, ita ut non-nullum nitori scholastici styli, mihi aliàs inter scribendum, ac disputandum consueti, intulerim detrimentum: Idque ut pro viribus unicuique prodessem, atque ad rerum intelligentiam etiam minus eruditis, non sine proprio damno, viam aperirem.*

Secundum: Tametsi jam a me completa secunda ex duabus, quas huic Operi intexui, Appendicibus, vetitum fuerit a S. Indicis Congr. Opus Nicolai Peguleti, [intellige P. D. Gabrielis Gualdi Vicentini Cler. Reg.] a me

a me impugnatum, nihilo tamen minus eam edere statui, nedum in gratiam illorum, qui cum debita licentia dictum prænominati Authoris Opus imposterum essent lecturi, sed & insuper, quod bene multas complectatur præmemorata Appendix notitias, ac doctrinas, quibus totum hujus Scrutinii corpus magis magisque elucidatum remanet.

Tertium denique observandum est, quod tum in recensendis nominibus, tum in refellendis multorum Probabilistarum opinionibus, debitam illis reverentiam, seu existimationem minui nullatenus opto; sed id unum volo, percipiant nempe Christi-fideles, ac discernant verum a falso: Unde verbis utar Eminentissimi Cajetani: [in procem. 1. p. D. Th.) Personis nullo pacto, Opinionibus verò, non-nisi ut dissonant, adversari intendo.

Qualis autem, & quanta sit dissonantia quarundam ex opinionibus, quas velut irrefragabiles harum Authores, horumque Pedissequi apertè decantant, ex paucis, quas tuis subiicio oculis, tu, nondum etiam hoc lecto tractatu, judicare poteris; videlicèt, quod Consultus quis de aliqua re, potest respondere secundùm opinionem, quam ipse minùs probabilem, imò falsam judicat. *Quòd* Opinio minùs probabilis est tutior probabiliori: *Quòd* Potest quis operari secundum opinionem unius gravis Recentioris contra communem, & contra propriam opinionem, quamvis judicet illam esse falsam ex principiis intrinsecis: *Quod* Omnes opiniones probabiles, sunt per se æquè tutæ, ac securæ: Benigniores, etsi aliquando sint minus probabiles, per accidens sunt semper utiliores, & securiores. *Quid igitur (studiose Lector) de his, ac aliis hujusmodi propositionibus tibi videtur? Et tamen hæ omnes,*

&

& alia quamplures, a falsis principiis modernæ Probabilitatis, in quam scribo, regulantur.

De cætero meas sustine imbecillitates: Etenim sin minus in Doctorum Gazophilacium auri argenti-ve monetas subministrare queo, saltem pro parvo meo captu minuta æris duo libenter, & humiliter subministro. Vive, vale, & cave ne carpas nisi eam, quam in meis Scriptis invenies, (quod absit) periodum, **Sanctæ Sedis** *correctioni, ac censuræ non submissam.*

IN-

INDEX

RERUM NOTABILIUM.

Du-

Mo-

Pro-

SCRU-



SCRUTINIUM

DE OPINIONIBUS IN PRAXI DELIGENDIS:

Quo contra moderna Probabilistarum placita potissimùm examinatur.

AN sit licitum sequi Opinionem minùs probabilem faventem libertati, concurrente, ac relictâ oppositâ probabiliori, quæ favet Legi.

Firmiter dico: Non esse licitum, respectu unius & ejusdem intellectus, sequi Opinionem minùs probabilem, faventem libertati, concurrente, ac relictâ opposita probabiliori, stante pro Lege.

Antequàm probetur hoc Assertum, sit

§. I.

Præmittuntur aliqua pro majori Resolutionis, ac ejus probationum intelligentiâ.

SUMMARIUM.

1. *Explicatur quid sit* Tutum, *quid* Probabile; minùs Tutum, *ac* minus probabile; probabilius, *ac* tutius.
2. *Quotupliciter aliquid sit, vel dicatur* Probabile.
3. *Asserti verba, & sensus dilucidantur.*

I. PRæmitto primò, non esse idem *Tutum*, ac *Probabile*. Nam *Tutum* idem valet, ac *securum*: Et est illud, quod nos tuetur à peccato, seu in quo nullum est periculum lethaliter peccandi, aut faciendi contra legem Dei, saltem formaliter. *Probabile* idem sonat, ac *approbabile*, seu dignum approbatione: Et est illud, quod habet aliquam veritatis apparentiam, seu veri-similitudinem, non autem evidentiam, sicut scientia, aut certitudinem, sicut Fides. Unde sententia probabilis, seu Opinio, habet quidem nonnulla motiva, veritatem suadentia, & intellectum inclinantia, (& secundùm eorum majorem, vel minorem vim, denominatur sententia magis, vel minus probabilis, idest magis, vel minùs vera seu conformis veritati,) sed tamen cum formidine alterius oppositæ opinionis, ut colligitur ex communi Doctore 1.*p.q.*79.*a.*9. dicente: *Opinio significat actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius*. Ex quo clarissimè patet, non esse idem *Tutum*, ac *Probabile*. In cujus etiam signum plures opiniones circumferuntur, & vagantur ut probabiles, quæ tutæ non sunt: Et plus quàm centum ex ipsis ab Alex. VII. & Inn. XI. damnatæ fuerunt, ad minùs ut scandalosæ, & in praxi perniciosæ, quæ suis Patronis videbantur tutæ; & tales de facto non erant, aliàs proscriptæ non fuissent: Immò nec veræ probabiliter erant, etsi ut verè probabiles a pluribus decantarentur, & tamquam aptissimæ ad hominum actiones dirigendas.

Hinc fit, non esse idem *minùs probabile*, ac *minùs tutum*: Sicut idem non est *probabilius*, *ac tutius*. Plura enim sunt magis tuta, & tamen minus probabilia. Et è contra, plura sunt minus tuta, sed probabiliora:

E.G.

E. G. non desunt qui assevèrent, post commissam culpam lethalem statim esse Confessionem faciendam ex Divino præcepto sub mortali obligante, dummodò habeatur copia Confessarii. Hæc opinio est indubiè tutissima, quia longissimè recedit a periculo peccandi, & legem transgrediendi, etiam solùm materialiter: At non est probabilior suâ oppositâ: Quæ licet sit minùs tuta comparativè ad suam contradictoriam tutiorem; quia tamen est tuta, idest, securè periculum peccandi evitans, etiam in concursu tutioris, (est enim moraliter certa, cum nulla sit assignabilis ratio sufficiens ad aliter sentiendum, nec ullum præceptum obligans sub mortali ad statim Confessionem faciendam,] idcircò potest ab omnibus, absque conscientiæ præjudicio, ad praxim deduci, quin adsit aliquod vinculum ad aliam tutiorem amplectendam adstringens. Non enim quis tenetur ex præcepto tutiorem semper viam eligere, sed sat est, si tutam prosequatur; Aliàs unusquisque deberet necessario Religionem intrare, ac Sæculum relinquere, cum per hoc tutiùs suæ provideat æternæ saluti; quod tamen non est dicendum. Dantur etiam persæpè quædam sententiæ, quæ probabiliores sunt simul, ac tutiores; Ut est illa, quæ asserit, Circumstantias peccatorum intra eamdem speciem valdè notabilitèr aggravantes esse necessariò in Confessione manifestandas: [Quæ tamen sententia dicitur tutior, non *comparativè*, quasi quod ejus opposita tuta sit, sed *adversativè*, ad aliam scilicet partem, quæ tuta non est, ut clarè ostendam in tractatu de Pœnitentia, *q.* 4. *a.* 1.) Quapropter *Tutius* & *Probabilius* quandoque, sed non semper in una eademque sententia coadunantur.

II. Præmitto secundò, aliquod esse probabile dupliciter

ter,(& loquor de *Probabili* quo ad nos,ideſt reſpectu noſtri intellectus aſsentientis,non autem *de Probabili* ſecundū ſe, ideſt,quod habet quidem à parte rei ſufficientia argumenta,ut ei poſſit intellectus prudenter aſſentiri,ſed ea ipſi intellectui non innoteſcunt, ſaltem ut ad aſſenſum ſufficientia,] nempè *ſpeculativè*, ac *practicè*. Primo modo, quando ex aliquo motivo probabili intellectus fert judicium de aliquo obiecto ſecundùm ſe, & abſtractè conſiderato, non ſpectatis hic, & nunc, juxta regulas Prudentiæ, circumſtantiis. Secundò modò, quando hujuſmodi circumſtantiis, diligenter, ac prudenter inſpectis, judicat, actum aliquem omittendum eſſe, aut exercendum.

Inſuper, *Probabile practicè*, adhuc dupliciter, ſeù potiùs ex duplici motivo, ac principio: Primò *intrinſecè*, ſeu ex ratione; Secundò *extrinſecè*, ideſt ab authoritate DD., qui poſt diligentem veritatis inquiſitionem, ac unâ & alterâ parte feriò ponderatâ, judicant aliquem actum eſſe licitum. Hæc autem probabilitas extrinſeca magis a qualitate Doctorum, quam ab ipſorum numero, cæteris paribus, menſuranda eſt.

III. Præmitto tertio, Aſſertum ſignanter procedere *reſpectu unius & ejuſdem intellectus*; ità ut fiat ſenſus, quod ùnus & idem intellectus, qui ſubiectivè, ac formaliter in ſe præſtitit aſsenſum alicui ſententiæ, quam putat & cognoſcit probabiliorem, non poteſt opinioni oppoſitæ, quam ipſe judicat minus probabilem, adhærere, non ſolùm in ſenſu compoſito, (ut ſcholaſticè loquar,) retinendò ſcilicet aſſenſum circa probabiliorem, [cum ſit impoſſibile duabus propoſitionibus contradictoriis ſimul adhærere, quia una earum debet in re eſſe neceſſariò vera

vera, & altera necessariò falsa, & aliàs intellectus non potest nisi vero, aut vero-simili assentiri,] sed nec etiam in sensu diviso, videlicèt, relinquendo propriam opinionem probabiliorem, & alteri minus probabili adhærendo; Nisi superveniant ipsi motiva, & rationes fortiores, quæ rationabiliter, ac prudenter moveant ipsum intellectum ad relinquendum primum assensum & judicium, & aliud oppositum de novo efformandum, per quod opinio ipsi priùs probabilior, transeat in minus probabilem, & opinio ipsi prius minùs probabilis, in probabiliorem, eique assensum rationabiliter præstet. Cæterum si loquamur de diversis intellectibus, non est dubium, quòd opinio, quæ uni subiectivè est probabilior, potest eidem apparere minus probabilis, obiectivè, idest penes alium intellectum, qui illam subiectivè & in se ut verè minus probabilem judicat: & è contra. Tunc autem intellectus iste, qui subiectivè adhæret opinioni, quæ re ipsâ est minus probabilis, si nullum respectum habeat ad oppositam probabiliorem, sibi ut probabiliorem ignotam, & adsit de ipsa invincibilis ignorantia, potest licitè suam opinionem sequi, quia tunc practicè apud se non apparet ut præcisè minus probabilis, sed ut undequaque moraliter certa, & tuta. Solùm ergo loquimur de uno, eodemque intellectu, ac de Sententia minùs probabili in concursu, & cum relatione ad oppositam probabiliorem, & cognitam ut verè probabiliorem. His premissis instituitur.

§. II.

In quo adducuntur Authoritates, præcipuè D. Thomæ, in favorem nostri Asserti.

SUMMARIUM.

1. *PLura & clarissima D. Thomæ testimonia evincunt non esse eligibilem sine culpa opinionem minùs probabilem faventem libertati, in conflictu probabilioris stantis pro lege.*

2. *Vindicantur nonnulli Thomistæ a Recentiorum Probabilistarum notis, ac præsertim cujusdam Anonymi.*

3. *Concordant in hac re cum D. Thoma plures SS. Patres, Summi Pontifices, S.R.E. Cardinales &c.*

4. *Item non pauci Religiosorum Ordines, Congregationes &c.*

5. *Item plurimi Infulati.*

6. *Similiter celebriores totius Europæ Universitates, & Accademiæ.*

7. *Concluditur, longè majorem probabilitatem extrinsecam habere nostram Sententiam, quam oppositam, nedum spectata qualitate, verùm & numero eorum, qui ipsam tuentur. Hinc meritò*

8. *Reprehenduntur aliqui, asserentes, communem esse opinionem illam, qua defenditur, licitum esse partem minus probabilem eligere, concurrente, ac relicta opposita probabiliori.*

I. PRobatur ergo primò ex S.D. *quodlibeto* 3.*a*.10. ubi sic habet: *In his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri; in talibus enim ignorantia non excusat &c.* Sed si in concursu opinionis probabilioris liceret sequi opinionem minùs probabilem, ab aliquibus Magistris, & Doctoribus propugnatam, & hæc esset erronea, seu falsa, (sicuti re verâ ita est, quod opinio minùs probabilis, in concursu probabilioris, potiùs est falsa quam vera; quia cognoscitur potius esse contra legem, quam in

in favorem illius, aliàs minus probabilis, ideſt minus conformis Veritati non eſſet,] excuſaretur a peccato illam ſequens: Ergo juxtà D. Thomam non licet ſequi opinionem minus probabilem, concurrente, ac relictâ oppoſitâ probabiliori.

Nec valet Adverſariorum Reſponſio, quòd, ſcilicet, S. D. intelligatur de his quæ ſunt *contra manifeſtum Scripturæ Teſtimonium*, ut ibidem ipſe concludit dicens: *Qui ergo aſſentitur opinioni alicujus Magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſive contra id, quod publicè tenetur ſecundum Eccleſiæ Auctoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari.*

Non inquam valet. Tum quia Concluſio non debet ſemper ita latè patere, ſicut principium, a quo deducitur: Principium autem probationum adductæ Concluſionis, quod eſt univerſalius, eſt iſtud: *In his quæ pertinent ad FIDEM, & BONOS MORES, nullus excuſatur &c.* Tum etiam, quia titulus præfati Articuli & quæſtionis eſt generalis, videlicet: *Utrum Diſcipuli ſequentes diverſas opiniones Magiſtrorum excuſentur à peccato erroris.* Quapropter etſi D.Th. *in C.* adducat exemplum de his, quæ ſunt *contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium*, utpotè omnino, & undequaque certa, non tamen excludit, immo ſupponit alia, ſub eiſdem principio, ac titulo comprehenſa.

Ultra quod, multis aliis in locis, abſque reſtrictione, ac univerſaliter docet, non ſufficere meram probabilitatem ad tutè operandum, vel judicandum, ut videre eſt in *6. Ethic. lec.* 2. ubi ſic docet: Quia igitur ad electionem concurrit & ratio, & appetitus, ſi electio debeat eſſe bona, (quod requiritur ad rationem virtutis

tis moralis,] oportet, quod & ratio sit vera, ideſt veritati conſona, & veri-ſimilior, quantum fieri poteſt, non probabilis tantum, *& appetitus ſit rectus*.

Dilucidè idem circa materiam particularem [quæ manifeſtè non eſt contra Scripruræ teſtimonium,)definit quodlibeto 8. *a.* 13. ubi prius aſſignat quaſdam regulas generales ad morales quæſtiones determinandas; Ad eumque finem examinat, An, quando de aliqua re ſunt diverſæ Doctorum Opiniones, poſſit quis minùs tutam eligere, relictâ tutiori; & poſtea exemplificat de pluribus Præbendis, (quam difficultatem ſpecialiter diſcutit, eamque ex principiis juris naturalis terminat *quodlib.9. a.* 15.]: An ſit licitum ſequi opinionem Doctorum affirmantium, plures Præbendas ſimul recipere, ac retinere fas eſſe, relictâ illorum opinionem, qui ex oppoſito negant id licere,. Ad cujus Articuli & veritatis perfectam intelligentiam membrātim, ac veluti commentariè adducam verba S.D., ſicque clariùs ejus mens innoteſcet. Sic ergo loquitur ad reſolvendam hanc quæſtionem, quæ non eſt facti, ſed Juris, an, videlicet, ſit licitum vel non, an ſit contra Legem nec-ne.

Reſpondeo dicendum, quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: Uno modo faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur; Alio modo faciendo contra conſcientiam, etſi non ſit contra Legem, ut ſi conſcientia dictet alicui, quòd levare feſtucam de terra ſit peccatum mortale: Etenim Lex æterna, & recta ratio ſunt duæ regulæ humanarum actionum, ut fatentur omnes Theologi. *Ex coſcientia autem obligatur aliquis ad peccatum, ſive habeat certam fidem*, (ideſt firmam exiſtimationem, ſeu perſuaſionem] *de contrario ejus, quod agit, ſive etiam habeat opinionem cum ali-*

aliqua dubitatione, ideſt titubatione, formidine, ſeu infirmitate aſſenſus; nam qui propriè dubitat, non habet *opinionem*. Unde verba S. D. idem ſonant, ac ſi dicatur; ſive firmiter, ſive non firmiter quis credat eſſe peccatum illud quod agit. Ex quo valet inferre, illum in operando peccare, in cujus intellectu adeſt opinio probabilis, negans actum eſſe licitum, & ſimul opinio minùs probabilis contradictoria, quam ipſe ſequitur; tunc enim habet opinionem cum aliqua formidine de contrario ejus, quod ipſe agit. Verum de hoc clariùs quamprimùm juxta noſtrum S. Doctorem.

Illud autem, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundùm conſcientiam, [*ſcilicet opinativam*.) In quibus verbis duo ſunt adnotanda. Primum eſt, quod ly *malum* idem eſt, ac peccatum *formale*, non *materiale* tantùm, prout innuitur in ly *non excuſatur*: Quæ particulæ non verificantur de peccato materiali. Secundum eſt, quod Textus D. Thomæ non intelligitur in his eventibus, & materiis, in quibus, & de quibus intellectus operantis habet ignorantiam invincibilem: Tunc enim juxta Doctrinam S. D. pluribus in locis ab ipſo adductam, coſcientia eronea, ideſt, quæ nihil omninò ſuſpicatur de errore, ſeu peccato, excuſat, debitis tamen præſuppoſitis diligentiis ad cognoſcendam veritatem. Senſus ergo verborum eſt, *per ſe*, [ac etiam penes ſubiectam materiam,) de duabus opinionibus circa aliquam ſententiam; quod ſcilicèt ille formaliter peccat, qui in praxi ſequitur unam ex his opinionibus, ſi contingat eam eſſe contra legem Dei; nec excuſatur per hoc, quod de ipſa habeat conſcientiam opinativam & probabilem, aliâ oppoſitâ opinio-

ne concurrente.

Et ſimiliter, quod eſt contra conſcientiam eſt malum, quamvis non ſit contra legem. Tunc enim voluntas fertur in obiectum, tamquam in malum, & contrarium legi, ſeu peccatum formaliter, quia prout ſic tibi ab intellectu proponitur, ut docet idem D. Th. 1.2.q.19.a.5. *in c.* his verbis: *Ex quo aliquid proponitur a ratione ut malum, voluntas, dum in illud fertur, accipit rationem mali... Si ergo proponatur ut malum a ratione errante, fertur in hoc ſub ratione mali; Unde voluntas erit mala, quia vult malum, non quidem id quod eſt malum per ſe, ſed id quod eſt malum per accidens, propter apprehenſionem rationis: Sicut credere in Chriſtum eſt per ſe bonum, & neceſſarium ad ſalutem, ſed voluntas non fertur in hoc, niſi, ſecundum quod a ratione proponitur; Unde ſi a ratione proponatur ut malum, voluntas fertur in hoc ut malum, non quia illud ſit malum ſecundum ſe; ſed quia eſt malum per accidens ex apprehenſione rationis.* En ratio fundamentalis, propter quam committitur peccatum agendo contra dictamen coſcientiæ erroneæ, tametſi non contra Legem. Vid. etiam S. D. *quodlibeto 3. a. 27. in c.*

Quod autem nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum, conſtat ex dictis.

Dicendum eſt ergo, quod quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram eſſe veram, & alteram falſam. Etenim inter partes contradictionis non datur medium: Et omne judicium intellectus, vel eſt conforme ſuo obiecto, & tunc eſt verum; vel eſt difforme, & tunc eſt falſum (quia in conformitate, & convenientia, & difformitate, & diſconvenientia judicii cum obiecto conſiſtit formalis veritas, vel falſitas intellectus,

ut

ut ostenditur in Metaphisica) : Eatenus autem secundùm nos aliquod judicium dicitur probabile, quatenus nobis veritas, vel falsitas non omnino certò apparet, sed per motiva, argumenta, & rationes, quæ ita nos persuadent ad unam partem, ut etiam relinquant posse rem aliter se habere; tametsi omne judicium probabile, in re vel verum sit, vel falsum.

Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, utpote habendo plures Præbendas, facit contra veram opinionem, & sic cum faciat contra legem Dei, non excusatur a peccato, quamvis non faciat contra conscientiam; Sic enim contra Legem Dei facit. Supponit hic D. Thomas, quod utraque opinio, tam scilicet affirmativa, quam negativa, in ordine ad retinendas plures Præbendas, sit probabilis; nam opinio non est nisi de obiecto probabili. Insuper supponit, quod opinio magis tuta, quæ negat esse licitum, sit vera a parte rei, & affirmativa sit falsa, & resolvit, quod sequens opinionem affirmativam *non excusetur a peccato, cum faciat contra Legem Dei.* Videant quæso Probabilistæ, an secum habeant concordem Doctorem Communem, dum asserunt excùsari a peccato sequentem opinionem minus probabilem ac minus tutam in conflictu probabilioris, ac tutioris.

Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam ipse sequitur, ita quod verè licet habere plures Præbendas; Et tunc distinguendum est, quia aut talis habet conscientiam de contrario, (in quantum judicat non esse licitam pluralitatem Præbendarum, contra propriam opinionem, aliàs veram, quam ipse sequitur,) *Et sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem: Aut non habet conscientiam de contrario*, (in quantum non ju-

 dicat

dicat sibi esse illicitum habere plures Præbendas,] *sed certitudinem*, sive quia prius erat omninò certus de sua affirmativa sententia, antequam inciperet de opposita negativa formidare; sive quia ejus assensus, etsi non omninò certus, est nihilominus determinatus ad illam partem, cum formidine tamen ad alteram, [& sic solvitur quælibet Adversariorum, & præcipuè P. Stephani Spinulæ obiectio contra Textum S.D., qui nomen certitudinis, quandoque latissimo modo sumit, & cum distributione accommodà, illudque attribuit etiam opinioni, Ut videre est *in 3. dist. 23. a. 2. q. 3. ad 1.* Unde addit, *sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum*, (idest nedum si propriè dubitet in neutram partem propendens, verùm etiam si in quandam moralem formidinem, propter auctoritatem Doctorum contrariè sentientium, inducatur,) *& sic si manente tali dubitatione*, (idest, nisi diligentiùs veritate inspecta talem dubitationem deponat,) *plures Præbendas habet, periculo se committit, & sic procul-dubiò peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem.*

Duo hic sunt avertenda ad occludendas Probabilistarum evasiones. Primum est, formidinem, seu dubium ortum ex contrarietate opinionum, seu auctoritate Doctorum, de quo loquitur S.D., non esse dubium merè speculativum, quod non efficit (ut canunt Adversarii] rectitudini operationis, sed esse dubium practicum, seu circa electionem operis, hic & nunc faciendam, conscientiam turbans; itaut velit D. Thomas eum peccare, qui etsi ad unam partem faventem libertati determinatus, ac de illa veluti certus, [certitudine nuper explicata) in aliquod tamen dubium, seu formidine

midinem alterius partis ſtantis pro lege ob contrariam DD. opinionem, inducitur, & adhuc ſtante tali dubitatione operatur. Oritur autem hujuſmodi dubitatio, ſeu formido in mente operantis per actum reflexum ſuper Magiſtrorum opinionem aliter ſentientium, hoc modo: Quomodo poteſt eſſe vera mea ſententia, quod mihi licet habere plures Præbendas, ſi oppoſitum ſuſtinent in favorem legis Divinæ tot Viri docti? Forſan ego decipior; Non enim veri-ſimile videtur, ſapientiſſimos Doctores hanc veritatem ignoraſſe. In hoc caſu ſi quæratur, an peccet Clericus habendo plures Præbendas, permanente tali dubitatione: Reſpondet D.Th. *procul-dubio peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quam propriam ſalutem;* cujus amittendæ probabili periculo exponere ſumma imprudentia eſt.

Secundum adnotandum ex Mercoro *Baſ.Theol.Mor. q.* 2. *a.* 21. quod etſi juxta D. Th. ille peccet, qui habet quandam certitudinem de ſententia libertati favente, (quam ipſe ſequitur in praxi] affirmante actum eſſe licitum, E.G. habere plures Præbendas, nihilominus in aliquam dubitationem, ſeu formidinem inducitur ex oppoſita ſententia, ſtante pro lege, ac in ſuo vigore in praxi permanente tali dubitatione; a fortiori peccabit ille, qui ſententiam tantummodo probabilem, [etiamſi probabiliorem,) ſtante pro ſenſu amplectitur, dummodo ex oppoſita Divinæ legi favente, & aliquo modo [etiam minùs] probabili, in aliquam dubitationem inducatur, eádemque dubitatione permanente; Ergo multò magis peccabit, juxtà D. Th. qui ſequitur opinionem minus probabilem, aſſerentem aliquem actum libertati conformem, eſſe licitum, in concurſu oppoſitæ

tæ opinionis probabilioris, & negantis id licere: Adeoque Probabiliſtæ habent ex omni parte ſibi contrarium Angelicum Doctorem; cujus dogmata Alex. VII. in Brevi ad Accademiam Lovanienſem *Tutiſſima, & inconcuſſa* declaravit; ut legitur in Chron.Magıt.Gen. Ord.Præd. pag. 118.

Tandem ait S. D. ad complementum corporis Articuli: *aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat*. Igitur tunc ſolum de mente D. Th. non peccat, qui in concurſu opinionum ſequitur affirmativam, quæ dicit actum eſſe licitum, quando ex oppoſitâ negativa nulla in ipſo naſcitur, aut remanet dubitatio, ſeu formido de falſitate ſuæ opinionis, & de periculo peccandi: Quod utique non evenit in noſtro caſu; nam opinio minus probabilis in conflictu ſuæ contradictoriæ probabilioris faventis legi, numquam poteſt dici ab omni dubitatione immunis; ac proinde ſecundum D. Th. non licet ſequi &c.

Non minus clarè veritas iſta manifeſtatur ex eodem S. D. *in quodlibeto 9. a.* 15. in quo difficultatem allatam de pluribus Præbendis nervosè diſcutiens, ita format quæſitum: *Utrum habere plures Præbendas ſine cura Animarum, abſque diſpenſatione, ſit peccatum mortale:* & reſpondet, *quod omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſè veritas habeatur, periculosè determinatur: Quia error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat a toto; licet fortè a tanto..... Præcipuè autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt; quod in hac quæſtione accidit: Cum enim hac quæſtio ad Theologos pertineat, in quantum*

tum dependet ex Jure Divino, vel ex jure naturali, & ad Juristas in quantum dependet ex jure positivo, inveniuntur in ea Theologi Theologis, Juristæ Juristis contraria sentire.

In quibus verbis ad intentum meum considerandum est

Primò, ly *omnis quæstio*, per quod innuitur, quod principium S. Doctoris est generale.

Secundò, ly *de peccato mortali quæritur*, quia non agitur de veniali peccato incurrendo, sed de mortali.

Tertio, sermonem esse de aliqua quæstione cognitu difficili, habente hinc indè opiniones probabiles Doctorum, quia *inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contraria sentire:* & tamen

Quarto, *nisi expressè veritas habeatur* (non dicit *probabiliter*, tantum, sed *expressè*;]

Quintò, *periculosè determinatur, & periculum est, ubi veritas ambigua est; & error, quo non creditur esse peccatum mortale, non excusat a toto.* Ex quo sic argumentor. Ubi agitur de peccato mortali, qui se exponit probabili periculo peccandi, peccat mortaliter, discrimini se committens; quia minoris facit legem Dei, ac Animæ salutem, quam propriæ voluntatis libertatem, ac sensus oblectamentum in vilissimis hujus mundi Creaturis; ut præter D. Thomam variis in locis, communiter sentiunt Theologi: Tunc enim operaturus virtualiter sic dicit: *Sive detur lex prohibens hanc operationem, sive non, volo operari, ut lucrum, vel commodum acquiram.* Quapropter D. Aug. libro *contra Donatistas c.* 5. sic ait: *efficere id quod incertum est an sit peccatum, certum peccatum*

catum est; Sed qui sequitur opinionem minùs probabilem, faventem libertati, concurrente, ac relictâ opposita probabiliori, quæ stat pro lege, juxtà S. D. *periculose determinatur*, idest probabili periculo peccandi se committit, quia adhæret illi opinioni, quam magis existimat falsam, quam veram, magis contra legem Dei, quam in favorem illius, cum sit minus probabilis eâ, quæ eidem legi favet, & insuper agitur, de *peccato mortali*, ut suppono: Ergo juxtà D. Th. mortaliter peccat, qui sequitur opinionem minus probabilem faventem libertati, concurrente, ac relictâ probabiliori, quæ favet legi.

Præterea, *Ubi veritas ambigua est*, si quis se determinans ad unam partem contradictionis, in qua *periculum est* legem trasgrediendi, re ipsa errare ac legem transgredi contingat, *error non excusat à toto*: Sed in conflictu opinionis minùs probabilis cum probabiliori *Veritas ambigua est*, cum inter se contradictoriè pugnent ambæ opiniones: Ergo, si quis se determinans ad unam partem contradictionis, seu ad unam illarum opinionum minus probabilem, quæ affirmat actum esse licitum, & in qua *periculum est* legem transgrediendi, a parte rei errare, & contra præceptum facere contingat, *error non excusat à toto*; ac proinde non evitatur peccatum mortale.

Denique sic arguo ex Mercoro, *ubi sup.* si concurrentibus duabus opinionibus oppositis probabilibus licitum foret, juxta D. Thomam; quamlibet ex illis ad libitum sequi, facilè ipse potuisset solvere præfatam quæstionem de pluribus Præbendis, ac dicere, posse unumquemque sequi opinionem, quam maluerit ex illis, dum

dum utraque est probabilis, ac utrinque militant Theologi, & Tutistæ; sicuti absque ulla veritatis investigatione aliqui Probabilistæ ita resolvunt omnes quæstiones morales, ut non unus tantùm ex ipsis prodigiosè prius probabilitatis Doctor, quàm veritatis Discipulus evadat. Ergo si Divus Thomas non est usus hoc facili modo determinandi suam quæstionem, sed potius dixit, quòd, *nisi expressè veritas habeatur*, *periculosè quis determinatur* ad illam partem, in qua est periculum divinæ legis violandæ, inferendum est, de ipsius mente non esse, ex duabus oppositis opinionibus probabilibus circa aliquam quæstionem concurrentibus, posse operantem eligere minùs probabilem sensus patronam, relictâ probabiliori legis tutrice.

Scio per quendam Authorem Anonymum, [hic est P. Paulus Segneri senior Societ. Jesu, ut refert Dominicus Viva ejusdem Societ. in prop. 3. Inn. XI. n. 9.] probabilitatis, ac benignæ [ut ajunt) Sententiæ Advocatum, anno 1694. compositum, ac divulgatum fuisse quoddam Opusculum per modum Epistolæ Italico Idiomate M.S. (cujus nervosam impugnationem lege in Petro Martyre Petrucci, *Lucer. Moral. c.* 7. §. 4. *Append.*) ubi *num. mihi* 55. adducit ex Jo. de Cardenas *De prob. opin. disp.* 56. *c.* 8. *a.* 9. *num.* 474. Divum Thomam plusquam ducentas morales sententias docuisse libertati consentaneas, quarum aliquas, successu temporis, ex intrinseca ratione minus probabiles existimarunt nonnulli, tametsi omnes, aut ferè absolutè dici debeant probabilissimæ, utpotè Angelica ex mente productæ. Hæc Anonymus.

Ast inanis ejusdem observatio! Quod aliqui habue-

sint ut minus probabiles quasdam D. Thomæ sententias, non est novum, cum etiamnunc in lucem prodeant Volumina de materia morali tractantia, quorum Scriptores non satis percipientes vim rationum S. Doctoris, insipienter putant suis opinionibus robur afferre, per hoc, quod non semel adiiciant verba: ***Contra D.Thomam***. Verùm quorundam Scriptorum judicium contra sententias D. Thomæ tot Summorum Pontificum Oraculis celebratas, quid refert? Quò ad rem nostram debuisset Anonymus probare[quod nunquam præstasset) Angelicum Præceptorem, aliquam sententiam, aut opinionem stantem pro libertate propugnasse, ut sibi visam minùs probabilem in conflictu alterius contradictoriæ faventis Præcepto, & quod hac neglectâ illam fuerit amplexus. Certè S. Doctor semper voluit, quod in dubiis, & quando adest aliqua moralis formidò legem transgrediendi, periculosè quis se determinat, eligendo partem faventem libertati. Quapropter Communis Doctor, conformiter ad hanc suam Doctrinam, semper protulit sententias sibi veriores, probabiliores in conflictu, a lege non dissonas, ac tutas. Non sic autem multi Recentiores, non sic; sed, etsi videant aliquam opinionem minùs probabilem esse, ac proindè minùs veram, immo (ut infra videbimus] potius falsam, quam veram in conflictu probabilioris oppositæ, adhuc licitè ac tutò eligi posse decernunt:

Et ut clariùs innotescat, quantùm Sanctissimus veritatis DOCTOR ab ipsa probabilitate fuerit alienus, sat est recolere non solùm in tot ejus de materia morali Tractatibus, & Voluminibus nullam extare quæstionem sub tutela Probabilitatis resolutam; verùm etiam

per-

perquam rarò hoc nomen *probabile* in ipsis reperiri, videlicet *quodlibeto 9. a.* 15., & ly *probabilius in 4. dist.* 32.*a.* 4. *ad.* 3. adeoque falsum esse, quod Anonymus ait, *num.* 56. Divum Thomam multoties hoc nomine *probabile* usum fuisse.

Verum quidem est, quod aliis in locis utitur S. Doctor his nominibus *probabiliter*, & *probabile*: At hoc est vel solùm in aliqua quæstione facti, non Juris; sicuti 3. *p.q.*70.*a.*4.*ad* 2. fatetur esse *probabile* quod ante institutionem Circumcisionis Parentes aliquas preces Deo funderent pro Parvulis natis ad peccatum Originale delendum; & in 4. *dist.* 45. *q*, 2. *a.* 2. *q.* 1. *ad* 5. asserit, probabiliter existimari posse, quod anima Trajani, precibus D. Greg. ad hanc vitam fuerit revocata. Vel etiam S.D. talia vocabula sumit extra materiam moralem, aut saltem circa obiectum, quod ad rem nostram non pertinet, seu nil conducit ad fovendam probabilitatem in conflictu: E.G. quando in 4. *dist.* 17. *q.* 3. *a.* 3. *q.* 4. *ad* 5. docet quod quando Pœnitens probabiliter timet aliquod periculum sibi, vel Confessario, potest recurrere ad Superiorem, vel ab eodem licentiam petere alteri confitendi; & 1.*p.q.*1.*a.*8.*ad* 2. ait: Theologiam uti auctoritatibus Patrum, & DD. arguendo *probabiliter*. Hæc autem loca D. Thomæ nullum probabilitati, de qua hic est sermo, præstant patrocinium.

Si insurgas cum Authore *nn. præcitatis*, eatenus adduci Doctrinam D. Thomæ de tot ejus Sententiis benignis, ut innotescat eos allucinari, qui opiniones benignas, seu minus probabiles dicunt esse laxas: Siquidem his numquam suum patrocinium præstasset Sanctus Doctor. Quapropter opiniones laxæ sunt semper im-

probabilissimæ; Secus verò minus probabiles iu conflictu, cùm istæ sic præcisè denominentur, quia non sunt tantæ probabilitatis, quantam habent aliæ opiniones magis probabiles: Cæterum quandoque maximæ probabilitatis esse possunt.

Ad hoc dico, Authorem ipsum, ac reliquos Probabilistas allucinari. Tum quia putant opinionem minus probabilem, sensûs patronam, in conflictu probabilioris, quæ favet legis præcepto, adhuc esse valde probabilem, cum verè improbabilis remanet, & probabiliùs falsa, quam vera, ut infra dilucidè constabit, adeoque laxa dici debeat, eò quia exponit conscientiam periculo peccandi, ac legem transgrediendi, & concupiscentiam fovens, operantem dirigit in latam perditionis viam. Tum etiam quia existimant, *benignum*, ac *minus probabile* esse Synonima; Quod utique falsissimum esse in argumentorum solutionibus demonstrabo. Unde D. Thomas non semel sententias benignas sustinuit, id est quæ suaviter legis adimplectionem insinuant, & exigunt; numquam tamen minùs probabiles in conflictu, & quæ legem infringant, ejusque præcepta enervent, sensuumque petulantiam nutriant, sed omnino veriores, ac tutas, omnique legem violandi a periculo semper immunes. Ita ex Apostolicæ Sedis Oraculis pluries edocemur.

Placuit ad rem istam S. D. sententiam abundè discutere, ut nemo veraciter possit ingenuus Thomista, & simul Probabilista nuncupari. Et insuper, ac præcipuè, ut ex Angelicis splendoribus, in tota Ecclesia feliciter irradiantibus, valeant Confessarii, cæterique studiosi, ad propriè, ac proximorum salutis directionem, cla-

clarum Veritatis lumen mutuari. Et tandem, ut ex tam certâ, tamque evidenti D. Thomæ sententiâ circa propositam quæstionem, possit quilibet a periculosâ quorumdam Modernorum opinione revocare gradum, & hoc modo evitare tremendum illud *Væ*, quod ex ejusdem S. D. perpensâ Doctrinâ, in præcit. a. 13. quodlibeti 8. exposita omnibus Probabilistis comminatus est Amadeus Guimenius his verbis: ***Hæc si vera sunt, Væ operantibus ex opinione probabili!*** ap. Vuigandt. ***tract. 2. exam. 3. n. 12.***

Advertendum hic circa illam celeberrimam quæstionem de pluribus Præbendis, quod post multa Doctorum litigia, Guillelmus Parisiensis Episcopus, Vir probus, ac doctus anno 1235. totam Universitatem adunavit, & in ea fuit ut illicita declarata pluralitas Præbendarum, & Beneficiorum, quæ congruam eo tempore Clerici subsistentationem quindecim aureorum excederent; adeòque reprobanda fuit opinio minus probabilis, & non tuta, quæ in conflictu suæ oppositæ probabilioris, ac tutæ, licitam affirmabat plurium Beneficiorum retentionem.

Huic Decreto omnes illius inclitæ Facultatis Doctores se subscripserunt, [inter quos B. ALBERTUS MAGNUS, & THOMAS CANTIPATRANUS, qui factum referunt, & post eos Dion. Cartusianus, Malvenda, & Spondanus,) duobus exceptis, nempè Arnoldo, ac Philippo Universitatis Cancellario. Hic tamen in agone constitutus, & à Parisiensi Episcopo charitativè admonitus, ut plura Beneficia resignaret, & opinionem minus probabilem dimitteret, probabilioremque amplecteretur, dixit, velle se in altera vita experiri vim probabilitatis opinionum, & an liceret sequi minùs proba-

babilem super retentionem plurium Beneficiorum . Expertus est, quod in votis habuit, infœlix Cancellarius ; paucis enim post mortem suam diebus, in specie tetræ umbræ apparens Episcopo, dixit ei, se in inferno esse damnatum ob tres causas, ex quibus unam fuisse Probabilitatis sequelam de pluralitate Beneficiorum . Videantur Luccioni *ubi sup. pag. mihi* 112. Vuigandt *lo: cit. n:* 20. & Pisani *Prop.* 3. *n.* 14.

Caveant Probabilistæ huic se damnabili experimento exponere, sed saniori consilio, & veritatis, ac animarum suarum zelo ducti, ad exemplum plurimorum, qui a Probabilismo ad hanc nostram tutam, & veram Probabilioritatis Doctrinam sectandam, ac tuendam, re maturius discussâ, incunctanter se contulerunt, (inter quos Eminentissimi Purpurati Pallavicinus, & Aguirre, ac Reverendissimus P. Præpositus Generalis Societatis Jesù Thyrsus Gonzalez,) propriam retractare opinionem non dedignentur . Ita se gerunt quotidie tot Viri docti, qui profundius controversiâ istâ examinatâ, ad Probabiliorismum transeunt, & eum semel amplexi numquam deserunt, clarissimis, & inconcussis ipsius argumentis penitus convicti . Lege præfatum Thyrsum *Dissert.* 13. *c.* 2. §. 11. ac introd. sui voluminis *n.* 35.

Optimum censeo cunctis Probabilitatis turmatim Sectatoribus mentis oculis obiicere consilium Em. Bellarmini, Episcopo Teanensi Nepoti suo datum, in Epistola, seu Opusculo ad ipsum directo, ante primam controversiam his verbis: *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omninò debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant. Et si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet*

om-

omnino tutiorem partem sequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali proposita, ad minus tutam declinare. Agitur enim de summa re, cum de salute æterna tractatur: Et facillimum est, conscientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo, conscientia non remordente, ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.

Ad validiùs roborandum præadductum Decretum Parisiensium Doctorum contra pluralitatem Præbendarum, post annos tres, iterum ab Episcopo adunatá Facultate, tribus ibidem existentibus S.R.E. Cardinalibus, determinationem priùs factam omnes qnotquot illic adfuere, voto, voce, ac scripto confirmarunt, ac speciatim ex Fratribus Ord. Prædicatorum Ugo de Sancto Theodorico, & Guerricus, Sacræ Theologiæ Magistri: Ex Ordine verò Minorum Alexander de Ales, & Joannes de Rupella. *Luccioni ubi ante.*

Dices: Nonnulli Thomistæ Probabilitatem admittunt in sensu a me ex D. Thoma huc-usque impugnato: Cum igitur non sit verisimile, ipsos velle contra suum Sanctum Præceptorem aliquid edocere, dicendum est, non esse, vel saltem posse dubitari de mente D. Thomæ circa præsentem difficultatem.

Respondeo, mentem S. Doctoris evidenter ex dictis constare, nec ullam de ipsa in aliquo posse oriri formidinem, nisi fortè ille sit *nimio suæ sententiæ tuendæ desiderio excæcatus*, ait Charlas *c.26.in fine.* Quantùm vero ad Thomistas Probabilitatis defensores, fateor, quosdam ex eorum scriptis apparenter tales videri; Sed verè tales non esse, saltem in sensu, quo Probabilitas a Recentioribus usurpatur.

II.

II. Primus eorum qui Probabilitatem contra Probabilioritatem foverit, adducitur Bartholomæus de Medina *in* 1. 2. *q*. 19. *a*. 6. At ipse solum ait, *mihi videtur*. Unde non loquitur definitivè, & per modum sententiæ, prout faciunt ferè omnes Probabilistæ, & eorum aliqui vix scholam ingressi, ac statim Doctores effecti. Immò nec universaliter loquitur, ut multi ex Modernis, ad quodlibet probabile calamum inhæsitanter extendentes. Et certè si Medina, sicut fuit celeberrimus Doctor, ita fuisset Propheta, [ut ex P. M. Jacobo a S. Dominico advertit Luccioni *dub. prælud. pag. mihi* 114.)ac prævidisset Probabilistarum catervam, per quam ad sui exemplum, etsi præter intentionem, & ultra ejus terminum, per fas, & nefas innumerabilium opinionum laxitate, hac nostra tempestate, Ecclesia Dei violenter exagitanda foret, suum *mihi videtur* nunquam in lucem edidisset. Ultra quod, ut notat Mercorus, *ubi sup.* Medina, si bene observetur, loquitur hyppoteticè, quia docet, sibi videri, licitum esse sequi opinionem minùs probabilem relictâ probabiliori, si illa in concursu istius sit probabilis. Quæ conditionalis ab omnibus debet admitti ut vera, eo modo, quo admittitur, si lapis haberet oculos videret. Falsum est autem (ut infra demonstrabo,] opinionem probabilem in conflictu probabilioris verè esse, ac remanere probabilem, neque de hoc ullum habet verbum Medina, [quem etiam novissimè vindicare satagit, *&* ad rectam intelligentiam reducere præallegatus Reverendissimus P. Thyrsus Gonzalez,] benè verò Probabilistæ id affirmantes, quod Probabilioristæ inconcussis rationibus negant. Sed quidquid sit de Medina, (tametsi ante ipsum jam invaluisset Probabilismus),

ut

ut affirmat Vazquez.)

Ex Thomistis affertur ab Adversariis in suum favorem etiam Dominicus Bannes *in* 2. 2. *q.* 10. *a.* 1. *dub.* 3. *concl.* 4. At Mercorus eum explicat admisisse usum opinionis minus probabilis, relicta probabiliori, potius per modum *gratis dati*, et ne videretur declinare vim argumenti, quod in ea opinione fundabatur, quam ex propria sententia; præcipue cum ille locus non esset proprius agendi de hac materia.

Etiam Dominicus Soto *de Justitia, & Jure lib.* 3. *q.* 6. *a.* 5. *erga finem ad* 4. solet citari ut Probabilitatis amicus; sed immeritò. Nam etsi dicat, quòd *ubi pariles esse omninò contigerint opiniones, non est apertum scelus, nunc unam, nunc alteram opinionem amplecti*; in primis loquitur de opinionibus æque probabilibus, non de minùs probabili in concursu Probabilioris. Deinde non negat esse scelus, sed ait non esse *apertum*. Unde subdit: *Vix tamen carere potest scandalo*, ideft peccato. Et quòd hæc sit ejus mens, patet ex immediatè subsequentibus: *In his autem cunctis vigilanter cavendum est, ne vel amicitia, vel quicumque alius affectus, caliginem intellectui offundat, ut eam opinionem PROBABILIOREM judicet, quam pro sua libidine mallet*. Supponit ergo, quòd ea opinio eligenda sit, quam quis *probabiliorem judicat*. Quamvis enim ibi Soto loquatur explicitè de Judice, ac Medico, & de his, *qua aliena Jura respiciunt*; hoc ideo est, quia argumentum, cui respondet, nihil aliud requirit: Implicitè tamen universaliter loquitur. Tum quia dicit, quòd *in speculabilibus Scholarum disputationibus nullum inde conflatur periculum, quod quispiam minùs probabilia ingenii causa defendat*: Consequenter videtur

 uni-

universaliter hoc negare in practicis. Tum etiam, quia addit, multò magis Theologo nefas esse, minùs probabilem opinionem sectari in his quæ sunt Fidei &c. Cum autem pro præsenti difficultate, par ratio sit proportionabiliter pro his, quæ sunt Fidei, ac pro spectantibus ad bonos mores, & ubi agitur de licito, vel illicito, (quæ aliena jura certè non respiciunt,] ut infra dilucidabo contra Cardenas, hinc est &c. Et licèt Peguleti *Tract. prob. c.* 18. *n.* 17. *afferat, paritatem inter Medicum, & Theologum esse prorsus vanam*, ex dicendis §. 4. *n.* 4. constabit, hunc Scriptorem *prorsus* absque ratione loqui.

Videntur Probabilitati favere Joannes a S. Thoma, & Marcus Serra: Sed eorum vindicias assumit Mercorus *p.* 3. *a.* 8. ubi ex ipsorum verbis, ac explicito sensu ostendit, eos solum docere Probabilitatis usum, quando opinio est tuta, & moraliter certa; tunc enim est licitè, ac tutò eligibilis, etiam in concursu alterius tutioris: De hoc autem non disputamus.

Specialiter de Mag. Jo. a S. Thoma Contensonius *lib.6. differ.* 3. *c.* 2. sequentia verba profert: *Qui licet minus probabili favere videatur, tamen tot cautionibus, & conditionibus sententiam suam sepit, ut iis adhibitis, minus probabilis intra lineam, & limites opinionis tutæ, seu probabilioris contineatur*. Eodem modo dicendum est de aliis Ord. Prædicatorum Alumnis apparenter Probabilistis.

Si autem quis ex ipsis verè inveniatur in favorem Probabilismi, non est indubiè ex præcipuis D. Thomæ Discipulis. Quapropter tam de his, quam de aliis quibuscumque universaliter cum Luccioni *lo. cit. pag. mihi* 107. dicam *Amicus Plato, sed magis amica Veritas*.

A supra citato Anonymo *in eodem Opusc. n. mihi* 33.

23. adducitur quædam apud Antiquos, ut ipse ait, usitata Regula, tanquam a B. Alberto Magno accepta, ex Testimonio D. Antonini, Ulrici, B. Umberti, ac Joannis Nider; quòd scilicet, *Frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus Magni Doctoris opinionem sequatur*.

Hanc regulam inveni allatam a præfato Nider in quodam ejus Opere, quod habeo præ manibus, & cui titulus, *CONSOLATORIUM TIMORATÆ CONSCIENTIÆ*. Verùm eam, ex his quæ docet ipse-met Nider. *ibid.* 3. *p. c.* 12., *& præsertim* 11. ubi præadductam refert regulam.

Dico, intelligendam, ac explicandam esse in casu, quo quis bona fide suscipiat alicujus Magistri opinionem, ut probabiliorem, ac veriorem, & juxta illam conscientiam suam prudenter efformet ad aliquem actum exercendum, de quo majorem nequeat habere certitudinem quo ad licitum vel illicitum, & alias nullam habeat practicam formidinem de opposito; itaut ejus intellectus meritò possit, ob tantam auctoritatem docentis, inclinari ad assentiendum, quod ita verè sit, ut ipsi a Doctore proponitur. At quomodo potest quis prudenter assentiri, & conscientiam efformare, ex opinione probabili, licitum sibi esse in praxi, quod magis illicitum in praxi esse cognoscit ex opposita opinione, a se cognita ut probabiliori? Est-ne hoc operari cum salute? Fuit-ne apud Doctores antiquos usitata hæc imprudenter operandi regula? Absit.

Videamus modo, quomodo loquantur Doctores citati in favorem regulæ nuper allegatæ; & in primis eam

in sensu Anonymi non docuisse B. Albertum Magnum certum est, cum ipse se subscripserit, ut supra vidimus, sententiæ Facultatis Parisiensis, improbantis pluralitatem Beneficiorum, adeoque reiicientis opinionem minùs probabilem, faventem libertati, tanquam illicitam in conflictu probabilioris, stantis pro Lege.

Ultra quod Magnus Albertus *to. 19. de homine trac. 1. q. 30. 2. 2. q. 2.* manifestè docet, quòd dubitans aliquid magis esse peccatum, quam non esse, si operatur, *mortaliter peccat propter contemptum*, quia, scilicet, contemnit probabilius periculum transgrediendi legem, per hoc, quod tali periculo se exponit, in sequela opinionis sibi minus probabilis.

Et quamvis idem Albertus ibidem proponens sibi quæsitum in præfata materia, (cui respondet modo dicto) innuat, fuisse regulam *quorumdam dicentium*, mortaliter eum peccare, qui dubitat, an aliquid sit peccatum mortale, & tamen facit illud; non inde potest inferre Nicolaus Peguleti *ubi ante c. 8. n. 29.* hoc dictum *non fuisse regulam communem Theologorum*, sed solùm *quorumdam*. Siquidem ex Antiquis quidam hoc expressè docebant, cęteri verò certum supponebant, ut quid lumine naturali notum. In cujus signum, nec in B. Alberto, nec in alio antiquo Doctore inveniri potest, quod tantum vel unus ex illis oppositum sentiret. Imò ipsi-met Probabilistę in ea regula unanimiter conveniunt, etsi conentur eam violenter, sed inaniter, ac frustra interpretari, ne suę officiat probabilitati.

Joannis Nider Auctoritas certè non est in patrocinium, sed contra ipsum Anonymum. Nam etsi exiBernar-

nardo Claromontensi dicat ibi p. 3. c. 12. *Ex quo opiniones sunt inter Magnos Doctores, & Ecclesia non determinavit alteram partem, teneat (quis) quam voluerit; dummodo judicium in hoc resideat propter dicta eorum saltem, quos reputat peritos*: Nihilominus hoc dictum refert uniformiter ad sensum tum propriæ ipsius mentis, tum aliorum DD. quos *ibid. & c. præced.* adducit, utique pro sententia probabiliori tuenda. Quod clarè patet,

Primò: Quia in fine cap. 13. ex se ipso sic declarat id, quod veluti pro regula ex Claromonte ante statuerat: *Si pro tali opinione format pro posse bonam conscientiam*: quam procul-dubio bene formare non potest, qui cognoscit, in sectanda opinione minus probabili, se potius eligere, quod est magis contra, quam pro conscientia, magis illicitum, quam licitum.

Secundò: Quia *cap.* 11. *post initium*, ut explicet id, quod in titulo proposuerat, nempè, *quod Doctoribus contraria sapientibus licet bona conscientia unam partem tenere*, sic ait: *Notandum in primis, quod cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundum eam operari, dummodo ex contrarietate talium opinionum non inducatur quis ad dubitandum, sed bonam conscientiam, seu fidem sibi formet de PROBABILIORI PARTE, præcipuè in tali casu, quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an liceat, nec invenit aliquid, quod eum moveat ad hoc, quod sit illicitum &c.* Inde affert aliquos casus ex D. Thoma, inter quos illum de Confessione non necessariò facienda statim post commissum lethale, etiam habitâ copia Confessarii. Et tamen subdit, *contraria opinionis est Ugo de S. Victore, & S. Bonaventura*. Et post pauca infert: *Ex quibus sequi videtur expressè, quod non opor-*

oportet semper tutiorem opinionem eligere de necessitate salutis, sed sufficit TUTAM ELIGERE ...... Patet illud ex quodlibeto 3. q. 19. quando aliquis propter contrarietatem Doctorum ADHIBET DILIGENTIAM INQUIRENDO DE VERITATE, nec reperit quod sufficienter eum moveant argumenta contraria, licèt talem moveant quadam levia, quæ in 4. dist. 18. in q. litterali docet (S.D.) *abiicienda esse, & conscientias in contrarium efformandas. Nec mirum; quia per talem diligentiam videtur homo facere quod in se est.* Præterea *ibid. pag.* 10. Sic habet: *Dico cum Altisiodorensi, quod Regula magistralis, videlicet, dubitans de aliquo an sit illicitum, & stante dubio illud agens, peccat, quia discrimini se committit, intelligenda sit de dubio tali, quod est vehemens, & MAGIS, AUT ÆQUE inducit mentem credere, quod est illicitum, sicut quod est licitum. Secus enim est, ubi mens plus inclinatur, & judicat, quod est licitum, quam illicitum, quamvis non habeat usquequaque certitudinem evidentem, aut fixam, quia nec hoc ipsum requiritur.*

Ex quibus ad intentum nostrum manifestatur mens hujus Doctoris. Tum quia operans debet sibi formare conscientiam de *probabiliori parte:* Adeoque, juxta ipsum, non potest quis probabiliorem omittere, ac minus probabilem amplecti. Tum etiam quia docet, quòd contrariis existentibus Doctorum opinionibus, sufficit ex illis *TUTAM* eligere: Et exemplificat de Confessione statim post peccatum non facienda ex Præcepto; quæ sententia procul dubio est tuta. Opinio autem minùs probabilis in concursu probalioris, tuta non est, cum operanti potius appareat contra Legem, quam pro lege. Tum etiam quia loquitur de eo qui *adhibet diligentiam inquirendo de Veritate*, & facit *quod in se est.*

Cu-

Cujusmodi non est qui sequitur opinionem minùs probabilem relicta probabiliori, sibi notá ut tali, quia potius refugit Veritatem, cum eam opinionem amplectatur, quam cognoscit magis elongari a Veritate. Tum denique, quia fatetur, eum peccare mortaliter, qui aliquid operatur cum tali dubitatione de opposito, quæ *MAGIS*, *AUT ÆQUE* inducit mentem credere, quòd est illicitum, sicut quòd est licitum: Quòd totum in præsenti difficultate verificatur.

Tertiò patet, quia Nider pluries ibidem innuit, quod fas est eligere alterutram ex opinionibus, quando habetur certitudo moralis, quæ *non semper omnes scrupulos abiicit* de opposita; ut præsertim loquitur *cap.* 14. *non longè à fine*: Atqui operans juxtà minus probabilem opinionem non habet de opposita probabiliori scrupulos tantummodo, utique contemnendos, sed talem formidinem, quæ ipsi repræsentat suam propriam opinionem potius falsam, quam veram: Ergo Nider non admittit sequelam opinionis minùs probabilis in conflictu oppositæ probabilioris.

Quartò, nam *cap.* 25. *reg.* 10. sic ait: *Agere incertum, & dimittere certum in materia morali, est peccatum mortale, si tale sit incertum, quod sit mortale. Sed intelligitur, dum tale est vehementer, & probabiliter incertum, æquè sicut oppositum, vel magis, tunc enim illud, quod agitur non carebit mortali culpa*. Sed qui sequitur opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, agit id quod est sibi probabilius incertum, ac dimittit oppositum, quòd est sibi probabilius certum: Ergo juxta Nider mortaliter peccat.

Quintò patet, quia Nider *præcip. c.* 11. ad suam expla-

planandam sententiam adducit testimonium Monaldi in Prologo suæ Summæ sic dicentis: *non generatur aliquod præjudicium erga veritatis sententiam, cum inter diversas opiniones a Magistris, & approbatis DD. scriptis autenticis adnotatas, illam opinionem quis amplectitur, quæ sibi videtur MAGIS CONSONA RATIONI.* Quæro hic ab Anonymo, opinio minus probabilis est-ne magis consona rationi, quam sua contradictoria probabilior? Audebit quis sui compos hoc affirmare?

Ulricum in fonte non vidi ob Codicis defectum; bene verò ab eodem Nider ibidem citatum reperio ex 2. *sent. dist. 22. in summa*, his verbis: *Si quis de aliquo dubio MAGIS PERITOS consuluerit de quo nullam habet authoritatem expressam, utrum ita sit, vel non, dummodo FORMET SIBI BONAM CONSCIENTIAM &c. etiam si res aliter se habuerit, quam ipse sentit, excusatur, quia FECIT ENIM QUOD POTUIT. Deus enim nihil IMPOSSIBILE requirit ab homine.* Quibus addit Nider ex propriis: *Nam ibidem æquiparat istum casum IGNORANTIÆ INVINCIBILI, ET OMNINO INVOLUNTARIÆ, QUIA SCIRE NON POTEST.* Quid clariùs contra Probabilistas? Potest-ne formari bona Conscientia [prout non semel explicui] de minus probabili opinione, tanquam de tuta, in probabilioris conflictu? Qui hanc spernit, illámque fovet, *facit-ne quod potuit* ad inquirendam veritatem? Sic operans dicitur-ne habere *ignorantiam invincibilem*, & omnino involuntariam, quia scire non potest quid verius, quid rationi, ac Divinæ Legi conformius, cum datâ operâ veri-similius, ac rationabilius omittit?

B. Humberti opera percurrere, ad inveniendum quid

quid ipse hac in re sentiat, nimis laboriosum foret. Nihilominus allegatum video in Exposit. Constit. Ordinis Prædicatorum [cujus fuerat Magister Generalis] a præfato Nider, *ubi ante*, *pag.mihi* 80. in hæc verba *Relaxanda est QUANTUM FIERI POTEST austeritas, & agendum est benignè cum hominibus, quia sic melius trahuntur ad salutem, cum sententiæ mitiores tenentur*. Nota, *quantum fieri potest*, idest quando sententiæ sunt tutæ, rectæ, rationi, ac legi conformes, sufficientes ad formandam bonam conscientiam juxta regulas prudentiæ, quæ prohibent, laxiores opiniones minus probabiles eligere in concursu probabiliorum, quæ stant pro præcepto. Nec est gratuita hæc explicatio: Siquidem addit Nider immediatè: *ET CONCORDAT Hostiensis, qui dicit*, extra de cognat. spirit. in gl. super C. *Sed Vir*: Quòd *ubi sunt diversæ opiniones, & diversa Jura, semper humanior est præferenda, idest, RATIONABILIOR, immo, & ÆQUIOR*. Hæc ille. En quomodo *concordat* Humbertus cum Hostiensi de sententia mitiori, ac humaniori præferenda; dummodo scilicet sit *rationabilior, immo, & æquior*; qualis non est minus probabilis in concursu probabilioris, cognitæ ut talis.

De Sancti Antonini mente frustaneum est inquirere (tametsi aliqui ex Probabilistis inaniter ejus patrocinium fingant.) Etenim 1.*p.t.*3.*c.*10.§.10.ita docet *Sic agendo contra tale dubium, non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles PRO IPSA MAGIS, quam pro opposita*. Et ibidem paulo ante regulâ septimâ, necessarium esse affirmat ad aliquid tuto, ac licitè operandum, quod *bonam sibi conscientiam formet de eo, quod credit, tanquam de PROBABILIORI PAR-*

TE: Et præcipuè, quando quis adhibet diligentiam, inquirendo an liceat, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat [nempè in conflictu partis oppositæ) *ad hoc, quod sit illicitum &c.* Poteſt etiam videri Charlas *de opin. delec. c.* 14. ubi latiùs adducit, & clariùs explicat præfatas D. Antonini auctoritates. Ex his

Deducitur, falsò adduxisse Anonymum in Probabilitatis subsidium præfatos Auctores. Et certè nullum ex antiquis DD. aut Sanctis PP. poterit ipſe, [aut alius quicumque ex Probabiliſtis Tamburinus, Mendo, Gobat, Maſtrius, Cardenas, Poteſtas, &c.] niſi violenter ſibi Patronum adſciſcere, quamvis auſus fuerit aſſerere, hoc a nobis non probari, nec per totam æternitatem probari poſſe. Probatur utique, & maximè a Thyrſo Gonzalez Generali Soc. Jeſu, qui *diſſert.* 13. §. 1. *n.* 9. aſſerit, poſt longam, & diligentem inquiſitionem, ſe non vidiſſe aliquem ex SS. PP. aut antiquis DD. benignæ, ut ajunt, ſententiæ defenſorem. Probatur ex Antonio Cordubenſi Ordinis Minorum in ſuo Quæſtionario [primò in lucem edito anno 1571.) *l.* 2. *q.* 3. *prop.* ubi, poſtquam noſtram, & omnium Antiquorum ſententiam adduxit, ita ſubdit; *ET IN HOC OMNES DOCTORES CONVENIUNT.* Probatur a Fagnano, a Charlas, a Gonetto, a Genetto, ab Eminentiſſimis Aguirre, ac de Laurea &c. Quid plura? Hoc unum ſufficiat, quod omnes quotquot ſcripsère Doctores, per ferè ſexdecim Redemptionis ſæcula, novum Probabilitatis commentum, tantum abeſt ut propugnarint, ut docuerint, ut in tenebris deliteſcens in lucem traxerint, quin potius tanquam ab eorum alienum calamo voluerunt quodammodo ignorare, non impugnare; præſertim cum

nec

hec unus tunc ejus defensor inveniretur.

Quocirca non mirum, si Conventus, seu Concilium Illustrissimi Cleri Gallicani in Palatio San-Germano anno 1700. adunatum, in quodam opusc. ad §. *de opinionum probabilium usu*; hæc scripta reliquerit: *Quod ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus, hoc novum, hoc inauditum, ac postremo demum sæculo proditum.*

Ab ipsis Probabilistis sumamus hujus veritatis testimonia. Ex eis unus Franciscus Amicus *To.* 3. *Curs. Theolo. primum excusso* 1640. *disp.* 15. *n.* 75. fatetur, *omnes ferè Antiquos Theologos negare, licitum esse operari secundum sententiam minus tutam, & simul minus probabilem; semperque ad licitè operandum ex sententia minus tuta, exigere, ut illa sit probabilior.* Ita apud Petrucci *c.*7.§.4.*n.*38. Nec putes ex Antiquis paucos fuisse Theologos Morales: Nam Possevinus *lib.* 3.*c.*22.*sua Bibliot.* plusquam 60. Casuum Veteres Summistas enumerat. Et Tabièna in proæmio sui operis affirmat, *innumeros pene, & diffusos libros in his materiis* suo tempore extitisse.

Anonymus etiam antedictus *n.* 6. asserit, præsentem Controversiam fuisse filiam sæculi sextidecimi; Etsi alibi, ut sup. vidimus, insinuare prætendat, Probabilitatem semper fuisse apud Antiquos firmam operandi regulam, quamvis major probabilitas in oppositum obstaret. Sic se gerunt non semel probabilitatis Fautores; quandoque Veterum, quandoque Recentiorum causam se defendere asseverant, secundum quòd eis prodesse putant ad Probabilioristarum argumenta evadenda.

Alter ex ipsis Probabilistis, immo eorum Coriphæus Caramuel idem testatur apud Mercorum *p.* 3. *a.* 1.

pag. mihi 478. his verbis: *ECCLESIA CATHOLICA FOELICIOR DEBET DICI*, *quod exuberet Sanctissimis, & Doctissimis Viris, qui introduxerunt benignas opiniones, quin damnarentur plurimi, quos sententiæ probabilitas salvat. Nec inde Ecclesia infælix, quod Doctores opinentur passim, sed & inde fælicior, quod benignius, & facilius suos possit ad lauream Empiream promovere*. Heu! quid absurdius? Ac si opinio probabilis id ageret, non esse peccatum, & contra rationem, ac divinam legem, quod in se vere peccatum est; seu, quod ipsa efficeret posse quemlibet ex hominibus in operando excusari a divinæ legis trasgressione, sine ulla ipsius ignorantia invincibili, immo cum positiva cognitione majoris probabilitatis contra legem operandi. O inauditum in Ecclesia paradoxum! Non miror ad hæc exclamasse insignem illum Carthusianorum Generalem Guidonem, apud Natalem *De peccatis C.4.reg.13. O Apostolorum tempora infælicissima! O Viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miseratione dignissimos, qui ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum Dei tam duras vias custodiebant, & hac nostra compendia nesciebant!* Etenim ut efficaciter argumentatur præcitatus Mercorus ubi ante, *Si nova huic fælicitati Ecclesiæ, quam supponit hic Auctor* [nempe Caramuel,) *esset plaudendum, quod ab opinionibus Fideles ad lauream Empiream promoventur facilius, esset simul condolendum infælicitati Ecclesiæ sæculorum antecedentium, & illius temporis Fideles appellare miserrimos, quibus hac Janua Cæli foret clausa.*

Ex ore igitur ipsorum Probabilistarum eos judicamus falsum asserere, quando dicunt Probabilitatis Doctrinam ab Antiquis Doctoribus traditam fuisse; cum

alias

aliàs ex ipsis nonnulli verbis rotundis oppositum fateantur.

Ex quo sic valet arguere. Doctrina morum a Veteribus magis, quam a Recentioribus Authoribus (cæteris paribus) petenda est, præsertim si illi Sanctitate, ac Doctrinâ insignes fuerunt, ut lucidè ostendit Natalis, *ubi infra regula* 16. Et videri potest nostra Praxis pro Confessario in fine hujus Scrutinii *num.* 1. Atqui cuncti Veteres Auctores Doctrinâ, & Sanctitate respectivè insignes, usque ad Sæculum proximè elapsum contra Probabilitatem, in sensu a nobis exposito, militarunt, ut ex ipsismet Adversariis nonnulli fatentur, Ergo &c.

Ex dictis totus evanescit conatus Patris Tyrilli Jesuitæ in fabricandis Auctoribus Probabilistis ante quingentos circiter ab hinc retro annos, & a fortiori curiosum somnium Caramuelis, qui creavit opinionem probabilem mundo coævam, ut refert Magister Luccioni *dub. prælud. pag. mihi* 105., *&* 106.

III. Possent in Confirmationem Doctrinæ D. Thomæ, pro nostro Asserto explanatæ, allegari non pauca Testimonia sacræ Scripturæ, antiquorum Traditionum, Sanctorum, Augustini, Hieronymi, Anselmi, Chrysostomi, Eucherii, Bernardi &c. nec non Tertulliani, Clementis V. Papæ in Concil. Viennensi, Inn. III. Eugenii III. Clem. III. Adriani VI, ac plurium aliorum Patrum, Doctorum, Summorum Pontificum, Conciliorum, Canonum, eorumque omnium Interpretum: Sed ea videantur respectivè in Gonet. *Dissert. de opinionum probabilitate*, Ludovico Minutolo *in addit. quæst.* 1. *a.* 11. Mercoro *Bas. Moral. Theol. par.* 2. *aa.* 22., *&* 23. Conten-

so-

sonio *Tom.* 3. *differt.*6. Natali *de peccatis c.* 4. *per plur. regg.* Eminentifs. Laens de Aguirre in *Synopsi Concil. Hispan. n.* 25., *& seqq.* Antonio Charlas de opinionum delectu per plura capp. Reverendifs. Christophoro a S. Joseph, *Tract. de reg. mor. per tot.* Illustrissimo Francisco Genetto *to.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *& seqq.* aliisque famosioribus Probabiliorismi defensoribus.

Quod si aliquæ adducantur emendicatæ, ac a legitimo sensu abtortæ Auctoritates Antiquorum DD. (ut ex D. Augustino facit prædictus Anonymus *ubi ante n.*24.) intelligendæ sunt de opinione probabili, non habente in conflictu aliam contradictoriam, magis, aut æquè probabilem, per quam respectivè reddatur improbabilis, & potius falsa, quam vera, vel saltem subiecta periculo erroris, seu falsitatis, & peccati. Cum enim ad rectè operandum non sit necessaria certitudo Metaphisica, vel phisica de operis rectitudine, sed sufficiat moralis, quando hæc habetur, idest quando quis convenientem adhibuit diligentiam in inquirenda Veritate, & hæc non-nisi probabiliter ipsi manifestatur absque ulla formidine de opposito, tunc rectè ac prudenter potest operari; quia tunc obiectum probabile est probabilissimum, & moraliter certum. Et in hoc sensu solet admitti *probabile*, ut sufficiens regula licitè ac rectè operandi, & a nemine potest rationabiliter negari. At in quæstione, quam agitamus, res aliter se habet. Nam qui sequitur opinionem minus probabilem, in concursu oppositæ probabilioris, sibi notæ ut talis, tantum abest, ut veritatem inquirere studeat, & secundum eam operari, quin potius ab ea vult elongari, & potius contra eam, quàm secundum eam agere, cum probabilius existimet esse

esse illicitum, quam licitum, id quod agit, magis contra Legem, quam in favorem illius, ut ex dictis constat, & magis ex dicendis innotescet. Quapropter hujusmodi minor probabilitas nequit esserectæ operationis regula.

Ludovicus Abelly *Medul.Theol. p.2.tract.2.c.1.§.ult.* ad probandum, *licitam esse ex duabus opinionibus, relicta probabiliori, sequi minus probabilem*, adducit authoritatem D. Leonis Papæ *ep. 29. ad Rustic. Narbon.* sic dicentis. *In iis, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis, nec Decretis Sanctorum PP. invenitur adversum.* At miror, hunc virum hujusmodi auctoritati innixum fuisse, cum ita manifestè urgeat contra ipsum. Quis enim ignorat, tum Evangelicos textus, cum Sanctorum PP. testimonia, hoc semper edocere, in dubiis, & ubi agitur de salutis discrimine, id semper eligendum esse, quod tutum est,& in quo nullum adest periculum legis violandæ? Constat autem ex huc usque dictis, & peramplius infra probatum fiet, in sequela opinionis minus probabilis, libertati consentaneæ, relictâ probabiliori oppositâ, probabilius semper adesse prædictum periculum violandæ legis, cum ea pars eligatur, quæ potius contra, quam militet pro lege.

Quid senserint in hac re Alex. VII. & Innoc. XI. Romani Pontifices, patet ex tot Probabilistarum opinionibus, ab ipsis sub Anathemate damnatis. Primus eorum in præfatiuncula sui Decreti, editi 24. Septembris 1665. hæc voluit apponi: *Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire,*

dire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus MODUS OPINANDI irrepsit, alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema Veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, idem Sanctissimus D.N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret &c.

Consimilem animi sui sensum idem Summus Pontifex Patribus Ordinis Prædicatorum, ad Comitia Generalia Romæ celebranda 1656. congregatis, prius exposuerat, ad perennem utique Dominicanæ Religionis, ac Thomisticæ Scholæ gloriam, in hæc verba, omnibus ejusdem Ordinis Theologis, ex ipsius Pontificis voto, deferenda: *Tædere Sanctitatem suam novarum opinionum hujus Sæculi in materia morali, quibus Disciplina Evangelica resolvitur, ac conscientiis cum gravi animarum periculo illuditur: Maximeque velle a Theologis nostris in Ecclesia hoc morbo laborantis remedium, opus parari ex severiori, ac tuta Doctrina D. Thomæ, quà hac morum licentia, quæ in dies grassatur, quasi cauterio cohiberetur.* Ita lego in Epistola P. Vincentii Baron ad Magistrum Generalem Ord. Præd. & apud Vuigandt. *tract. 2. exam. 3. n. 13.*

Romanis Pontificibus uniformis est quotidiana Praxis Romanæ Rotæ, ac Sacrarum Congregationum in efformandis decisionibus omnino juxta probabiliores sen-

sententias, ut fatentur præallegati Gonet, & Aguirre. Et idem dicimus de Sacræ Pœnitentiariæ Tribunali; ut experientiâ constat.

Eundem esse Stylum Senatus Mediolanensis, Pedemontani, & aliorum, qui in controversiis Juris occurrentibus semper adiudicant in favorem partis probabilioris, testatur Merçorus *p. 2. a. 16.*

Quò ad S. R. Ecclesiæ Cardinales Probabilismi hostes, (fautor enim nec unus ex eis invenitur excepto de Lugo] sufficiat audire quid de ipsis dicat Eminentiss. de Aguirre in præfatione operis nuper *cit. n. 22.* his verbis: *Inter tam multos eorundem, qui usque modo sanctitate, aut Doctrina floruerunt insigni, vix* (*credo*) *invenietur aliquis, qui aliter senserit, aut docuerit. Immo & ex iis, qui modo superstites sunt, tam intra, quam extra Urbem, præstanti pietate, & eruditione conspicuis, ac toti Orbi Christiano notis, quorum judicia, ac Sententiæ mihi frequenter Colloquio, ac variis Congressibus innotescunt, nemo est* (*quantum capio*) *qui tam in Theorica, quam in Praxi non censeat sequendam omnino esse sententiam tutiorem, vel saltem longè veriorem, ac probabiliorem.* Inter hujusmodi Purpuratos Probabilioristas, specialiter enumerantur D. Bonaventura, B. Ugo de S. Theodorico, Cajetanus, Bellarminus, Pallavicinus, [postquam a Probabilismo recessit, ut refert ex Thyrso Gonzalez,)Genettus *to. 1. tract. 1. cap. 6. q. 8.* Toletus in prima editione Romana, Paleotus, Bona, Sandoval, Lauræa, Noris, Sfondratus, Denoff, Janson, Grimaldus, Canius &c. qui vel in lucubrationibus suis editis, aut MSS., vel in Pastoralibus & Encyclicis Epistolis, vel aliter in Probabilismum arma sumpsere.

Idem Cardinalis de Aguirre *ibid.n.25.* hæc addit. *Hic fuisse videtur semper Spiritus Ecclesiæ tam in Pontificibus Romanis, Cardinalibus, & Episcopis, quotquot Canones Conciliorum ediderunt, quam in iis, qui pietatis, & Doctrina laude illos usque modo imitati sunt. Unde ante, & post Pontificatum laudati Alexandri VII. mirum est, quo zelo, qua eruditione, & constantia quamplurimi Episcopi præstantissimi nominis, partim vita functi, partim superstites, Probabilismum luxuriantem represserint. Quot Concilia ab eo tempore in Gallia contra illum usque modo celebrata sunt, unanimi Patrum Congregatorum suffragio, a Marbesio & aliis exscripta? Quot Conventus Episcoporum, Doctorum clarissimæ Sorbonæ, ac Parocorum Parisiensium, Rhotomagensium, aliorumque ad illum exterminandum, & ad proscribendam famosam illam Apologiam Casuistarum conspirarunt &c.*

IV. Religiosorum Ordines, & Clericorum Congregationes ab Apostolica Sede approbatæ, suis in Constitutionibus, expressè sunt in favorem probabilioris Sententiæ. Augustiniani *Constit.p.5.c.8.* ut sic Sanctissimo suo Patriarchæ, & Ecclesiæ Doctori Augustino cohæreant. Eremitani, *Constit.p.2.c.5.n.7.* & 10. Carmelitæ, *Constit.p.1.c.10.* Clerici Matris Dei *Constit.p.1.c.13.n.3.* ut refert Hyacinthus Parpera *Scholast. Verit. Lucar. q.7. pag. mihi* 118. Trinitarii, *Constit.lib.1.c.3.* Clerici Minores, *Constit.p.1.c.13.* PP. Discalceati de monte Carmelo, *Constit.p.2.c.15.n.7.* his verbis *Prælector Casuum Conscientiæ breviter dubia dissolvat, & omnes opiniones in tutiorem partem incumbens semper sequatur.* apud Charlas *c.18.* Item ordo Theatinorum, ut videre est apud Gonet *in Dissert. de opin. prob.*

Ordo Prædicatorum Generalibus in Comitiis Romæ anno 1656. celebratis, *admonit.* 14. in fidem seque-

Iam

lam Quinti Ecclesiæ Doctoris, & sui Angelici Præceptoris, omnibus ejusdem Ordinis Professoribus hæc injungit: *Caveant ab omni pruritu exoticarum, minusque cum genuina litera S. Thomæ cohærentium opinionum, precipuè in moralibus, ubi pressius de salute, ac indemnitate animarum agitur. In his porro studeant omni cautela evitare opiniones laxas, novas, ac parum tutas, abstineantque a PARADOXIS, AC MONSTRIS recentium placitorum, seu problematum, quæ magis falsitati, ac periculosæ ostentationi militant, quam Veritati.* Quocirca non mirum, quod Thomisticam sententiam de Probabiliorismo tuendo, præter superius adductos B. Ugonem de S. Theodorico Cajetanum, Natalem, Luccioni, ac Petrucci, tot propugnaverint Prædicatoriæ Familiæ Doctores, D. Antoninus, Thomas Cantipatranus, B. Albertus Magnus, Guerricus, Joannes de Friburgo aliàs Theutonicus, Joannes Nider, Bartholomeus Fumus seu Armilla, Tabiena, Sylvester, Dominicus Soto, Jo. Baptista Gonet, Julius Mercorus, Vincentius Baròn, Dominicus Gravina, Vincentius Contenson, Ludovicus Minutolo, Laurentius Maria Pisani, Jacobus a S. Dominico, Piccinardus, Aravio, Joseph Mayol, Martinus Vuigandt, Petrus Labàt, Ludovicus Bancèl, Ildephonsus, Manriquez, Marius Diana, Ildephonsus a S. Thoma, Passerinus, Joseph Maria de Turre, Ignatius Hyacintus Amàt de Graveson &c.

Alios prætermitto penè innumerabiles Authores, præsertim ex Ordinibus D. Benedicti Congregationis Sancti Mauri Galliarum, Italiæ, ac Germaniæ; Minoritarum cum Scoto, & Seraphico Doctore; Præmonstratensium &c. nec non ex Congregationibus Oratorii in Belgio,

& in Gallia; Patrum Missionis &c. Qui omnes Probabilismo frænum imposuere.

Optarem, ut aliqui Probabilistæ Ordinis Minorum Subtilis Doctoris vestigiis inhærerent, nec eum, quem in speculativis sequuntur, desererent in Moralibus. Scotus enim *in 4. dist. 11.q.6.* sic habet: *Cum pars negativa multum sit probabilior, non sine peccato aliquis se exponit tali dubio, idest sequendo affirmativam minus probabilem.* Et licèt hic Doctor ibi loquatur in materia Sacramentorum, ratio tamen ejus est universalis, videlicèt, quia pars negativa est probabilior.

Præterea, *in 3. dist. 25. q. 1. post medium in respons. ad 2. dub.* sic ait: *In Moralibus, quando sunt altercationes de aliquo peccato, quando primò est mortale, ut si unus peritus in scientia dicat, quod non licet sic mercari & alius dicat, quod licet, tutius est non procedere sic, vel sic, sed expectare quousque VERITAS pateat aliunde.* Ubi duo animadvertenda sunt. Primum est, quod ly *tutius* non stat comparativè, sed contrariè juxtà consuetum modum loquendi; itaut sensus sit, quod in tali dubio, tutum est non mercari, non verò tutum est mercari; aliàs superfluum esset documentum Scoti, nec tanto Theologo dignum, cum omnibus etiam ignaris notum sit, esse comparativè tutius non operari, quando in operatione dubitatur de peccato. Et sic evanescit explicatio, quam de prædictis verbis Scoti affert Reiffenstuel *Theol. mor. tr. 1. q. 4. n.* 54. dicens, quod per ly *tutius* nostra sententia optimè a Scoto consulitur, non vero sub obligationis vinculo concluditur. Auctor iste in Decretalibus se retractavit. Secundum est, quod juxta hunc Doctorem in casu dubitationis, aut moralis formidinis in operando, non sufficit mera probabilitas, sed *veritas*, quan-

quantum fieri poteſt, inquirenda eſt, eaque expectanda, vel ſaltem major veriſimilitudo, & interim ab operatione ceſſandum.

Item in Prologo Comment ſuper libros Sentent. q. 2. idem Scotus, cum ſibi obieciſſet 3., quod *multa ſunt, de quibus non cognoſcitur certitudinaliter ex Sacra Scriptura, utrum ſint peccata mortalia, vel non, quorum tamen cognitio eſt neceſſaria ad ſalutem, quia neſciens illud eſſe peccatum mortale, non ſufficienter vitabit illud.*

Reſpondet: *Origenes in Homilia de Arca Noè, dicit: Nulla ſcientia omnia ſcienda explicavit, ſed illa, ex quibus poſſunt alia ſufficienter elici; Unde multa Veritates neceſſaria non exprimuntur in Scriptura, etſi ibi contineantur virtualiter ſicut concluſiones in principiis*, (nota, quod principia, ex quibus eruendæ ſunt reſolutiones Caſuum Conſcientiæ, in Sacra Scriptura continentur,) *circa quarum inveſtigationem utilis fuit labor Expoſitorum, & Doctorum. Et ſi obiicias, multa in actibus humanis ſunt dubia, utrum ſint peccata mortalia, etiam ſuppoſitis omnibus Doctrinis Doctorum, & Expoſitorum: Reſpondeo: Non eſt dubia via ſalutis ſimpliciter, quia a talibus tanquam a periculoſis debet homo ſibi cavere, & cuſtodire ſe, ne, dum homo ſe exponit periculo, incidat in peccatum.* Videas Lector, quod juxta Scotum, quando ex principiis Sacræ Script. non ſatis clarè innoteſcunt Concluſiones in materia morum, *etiam ſuppoſitis omnibus Doctrinis Doctorum, & Expoſitorum*,] includuntur-ne etiam Probabilitæ?) abſtinendum eſt ab iis, de quibus dubitatur, *utrum ſint peccata mortalia*, ne ſcilicet *homo dum ſe exponit periculo, incidat in peccatum*. Ut quid ergo iniuſte conatur Maſtrius in 2. diſp. 5. q. 2. Scotum a Probabilioriſtis eripere?

Præ-

Prædictis omnibus addendi sunt plures è Societate Jesu, conformiter ad monitum Reverendiss. P. Vittelleschi Præpositi Generalis, omnibus Prælatis ejusdem Societatis die 4. Januar. 1617. transmissum, his verbis: *Nonnullorum è Societate Sententiæ, in rebus præsertim ad mores spectantibus, plus nimio liberæ, non modo periculum est, ne ipsam evertant, sed ne etiam Ecclesiæ Dei universæ insignia afferant detrimenta. Omni itaque studio perficiant, ut qui docent, scribunt-ve, minime hac regula & norma utantur: TUERI QUIS POTEST; PROBABILIS EST; AUCTORE NON CARET. Verum ad eas sententias accedant, quæ TUTIORES, quæ graviorum, majorisque nominis Doctorum suffragiis, sunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, & prodesse queunt, non vastare, non perdere.*

Eadem est mens totius Societatis, (tametsi nonnulli ex privatis ab ipsa deviaverint,) expressa in duodecima Generali Congregatione, habita anno 1682 *Decr.* 28. cujus verba sunt: *Quamvis contra novitatem, laxitatemque opinionum, præsertim in rebus moralibus, abundè provisum sit, & Præpositorum Generalium Ordinationibus, & Superiorum Congregationum Decretis, & constitutionibus ipsis quibus jubemur sequi in quavis facultate SECURIOREM, magisque approbatam Doctrinam &c.* Et post pauca commendat P. Generali, ut non tantum transgressores *severè* puniat, *Sed ipsos etiam Superiores, si quando in cohibenda liberiori illa opinandi licentia, negligentiores fuerint.* Videatur supra relatus Charlas *cap.* 18.

V. De Infulatis, aliisque Ecclesiæ Præsulibus, nostræ sententiæ defensoribus, numerum texere, nedum perquam difficile, sed impossibile. Jam *num.* 3. *hujus* §. *erga*

erga finem, adduxi quid scribat Em. de Aguirre. E' solis Galliarum Provinciis extiterunt præ aliis, Archiepiscopi Rothomagensis, Mechliniensis, Senonensis, & Bituricensis: Episcopi Bazatensis seu Vasatensis, Electensis, Lexoviensis, Cadurcensis, Appamiensis, Cataluniensis, Diniensis, Convenensis, Aurelianensis, Bellovacensis, Venciensis, Conteranensis, Gandavensis, Nivernensis, Andegavensis, Tulensis, Ebreoicensis, & alii; qui omnes in censuris contra quendam librum, cui titulus, *Apologia Casuistarum*, gravibus ac prægnantibus verbis laxæ probabilitatis Doctrinam sunt execrati. Legantur prælaudati Aguirre, Natalis, Charlas, & Genettus; quorum primus in Synopsi Collectionis Conciliorum Hispaniæ *num.* 26. refert, quod tempore Urbani VIII. quatuor Galliarum Archiepiscopi, ac duodecim Episcopi anno 1644. ad eumdem Summum Pontificem quandam Epistolam scripsere, in qua è novis Probabilistarum opinionibus exorta damna, his verbis, inter alia, manifestant: *Divinorum Sacramentorum usus, qui sacer omnino, ac salutaris esse debet, in perniciosum, ac à piis omnibus deplorandum abusum sæpissimè convertitur. Depravatis, ac corruptis moribus, blandimenta potius, atque operimenta, quam salubria remedia comparantur; Ut ex Sententiis, ex libris eorum fideliter excerptis, nemini non apertum, atque exploratum esse potest.* Et postea quid optent, insinuant ita. *Ad corruptelas morum expurgandas, effrænatamque illam quorumlibet flagitiorum, quæ nunquam tanta fuit, licentiam, augentibus eam in dies novitiis quibusdam Casuum Conscientiæ Architectis.*

Haud dissimilia expressa dedere alii Episcopi anno sequenti 1645. in alia Epistola ad Inn. X. transmissa.

Præterea per Illustriss. ac Reverendiss. D. Ludo-

vi-

vicum Henricum de Gondrin Senonum Archiepiscopum, Galliarum, & Germaniæ Primatem adunatis anno 1658. ad Synodum 600. vel 700. Abbatibus, Prioribus, Decanis, Parochis, & aliis eruditissimis Viris, tetriora Probabilitatis capita, & consectaria, post maturam ponderationem, communibus suffragiis, & Patrum applausu damnata fuere, nonnullis inflictis censoriæ severitatis notis, ut videre est apud Merbesium *Sum. Christiana p. p. q.* 36. ubi quamplurima eruditionis plena studiosus Veritatis amator inveniet.

VI. Ex celeberrimis totius Europæ Universitatibus & Accademiis nobiscum militant Parisiensis, Lovaniensis, Pictaviensis, ac Bituricensis; quarum præsertim duæ priores, unà cum omnibus nuperrimè citatis Gallicanis Præsulibus, sequentes propositiones, è prædicta Casuistarum Apologia collectas, confixerunt.

In quæstionibus de bono vel malo, licito vel illicito, Jure divino, vel humano, potest quis sequi opinionem minus probabilem, minusque tutam, relicta probabiliore, & magis tuta, etiam sibi nota ut tali. Ita refert Natalis *ubi ante reg.* 13.

Omnem probabilitatem sive extrinsecam, sive intrinsecam, in conscientia satisfacere putamus, nec exemplis urgebimur: ubique enim eodem omnino modo philosophamur.

Auctoritas unius probi & docti reddit opinionem probabilem.

Hæc positio sexdecim ad probabilitatem requiruntur, *non est probabilis; si sufficiunt sexdecim, sufficiunt quatuor; si sufficiunt quatuor, sufficit unus.*

Ex auctoritate unius tantum potest quis opinionem amplecti, licet a principiis intrinsecis falsam, & improbabilem exi-

existimet.

Omnes opiniones probabiles sunt per se æque tutæ, ac securæ: Benigniores, etsi aliquando sint minùs probabiles, per accidens sunt semper utiliores, & securiores.

Homo non est suarum opinionum mancipium, ideoque probabiles quasvis Sententias potest ad libitum mutare apud Natalem *ibid. reg.* 14.

Ut igitur Authoritatis pondus pro nostra assertione compleamus, innuere sufficiat, Doctores omnes Pietate, Dignitate, ac Doctrinâ excellentiores, solidissimis rationibus innixos, eam tueri.

Adducant quæso Moralis laxitatis Protectores, vel unum ex Sanctis Doctoribus, Pontificibus, Conciliis, Purpuratis &c. nullum utique: Aliquos tantummodo dicam plurimos Scriptores, sed non supremi Ordinis, [sicut neminem prodo, ita neminem offendo); plurimos, inquam, inanes invicem mutuantes ratiunculas, ac Authorum citationes, ut,sic se se fulcientes, penitus non prolabantur.

Post Theologos recensendi sunt plurimi Juris-Consulti, nec-non Canonistæ, quorum Antesignanus in hac materia extitit Prosper Fagnanus *In cap. Ne innitaris. De Constitutionibus:* Ubi plures ipsorum, & efficacissimas rationes adducit.

Ex quibus omnibus manifestissimè liquet, multo plures numero [nedum singularibus eminentiores prærogativis) esse, qui sanctioris Disciplinæ regulam sectantur in tuenda sententiæ tutæ veritate, [etiam solum ex eo tempore, quo hæc quæstio fuit maturè discussa,) contradictoriâ sensus amicâ, & personatâ probabilitate unanimi voto rejectâ. Quamvis enim hac nostrâ, vel

alterâ præcedenti ætate, nonnulli prodierint suadentes investigare, ac addiscere, non quod verum est, sed quod probabile, ac si Christus dixisset, *Ego sum Probabilitas*, non autem *Ego sum Veritas*; Jo. 146. Nihilominùs & hi pauci sunt, si tot aliis comparentur, Veritatis, non Probabilitatis Amasiis, ac Defensoribus. Legantur a me prælaudati, & quod affirmo, evidenter innotescet.

VII. Concludendum igitur cum Eminentiss. de Lauræa *To. 2. in 3. sent. disp.* 11. *a.* 4. *n.* 299. falsum esse, quod majorem Probabilitatem extrinsecam habeat, seu plures Authores sententia affirmans, licitum esse sequi opinionem minus probabilem in concursu probabilioris, quam contraria; immo hæc ferè totam habet Ecclesiam, quæ de illa obmurmurat, eamque omnes cordati, & publicè, & privatè insimulant, ut relaxationum originem. Hinc

Deducitur primò, gratis, & absque ullo fundamento affirmasse Clericatum *Erotem. Eccles. c.* 2. *n.* 5. quòd *communis est opinio, quòd licitum sit in foro interiori sequi opinionem probabilem, omissa probabiliori &c.* Proculdubio nec a longè ipse salutavit quos adduximus Probabilioristas; aliàs ita nec scripsisset, nec sensisset. Nisi velit cum aliquibus Probabilistis, quod ad reddendam aliquam opinionem absolutè communem sufficiant decem Authores, aut etiam octo tantummodo, vel septem; quod utique ridiculum est, ni sermo sit de Doctoribus Classicis, nempe, Divo Thoma, Scoto, & hujusmodi.

Deducitur secundò, falsum scripsisse supradictum Anonymum, asserentem in eodem Opusc. *n. mihi* 47. oppositam sententiam de sequela opinionis minus probabilis, faventis libertati, in conflictu probabilioris stantis

tis pro lege, *esse communem, & omnium Authorum, qui ex professo hanc materiam pertractarunt, si paucos excipias nec merito, nec numero illis comparandos*. Non indiget hoc dictum impugnatione: nimis patenter hyperbolicè incedens, seipsum mendacii reum condemnat.

Multi loquuntur, sed ignorant quæ dicunt; quia nunquam legerunt, aut viderunt Probabilioristarum volumina, sed aliquos tantum Probabilistas, præsertim ex recentioribus, quos manibus terunt, Tamburinum, Mendo, Gobatum, Bordonum, Mastrium, Bonacinam, Giribaldum, Busembaum, Amicum, Laymanum, Abelli, Viva, Cardenas, Gavellum, Lohner, & alios consimiles legerunt.

Verum hac in re volo me Probabilistis benevolum præbere. Quocirca, gratis dato, (numquam tamen concesso, utpote contra veritatem,) plures numero dari Scriptores, Probabilismo plaudentes, alios sequentes, tanquam oves, & aves, solidissimis non perpensis, quinimò nec lectis quandoque suorum Adversariorum rationibus, & motivis: Nihilominus ita eis omnibus, argumentorum vigore præit quilibet Probabiliorista, ut sæpius verificetur, quod plurimi, qui citra passionem, vel obstinationem legerint aliquod Probabilioristicum volumen, illico victi, ei, quam prius non cognoscebant, se submittunt Doctrinæ, ac Veritati. Testis est Cardinalis Sfortia Pallavicinus, qui post evulgatum, ac a se defensum Probabilismum, palinodiam in MSS. decantavit; & anno ferè ante mortem Nepoti suo Societatis Jesu Religioso, protestatus fuit, se velle omnino publicè retractare, quæ de benigna, ut ajunt, sententiâ prius sectatus fuerat, & scripserat documenta, ut refert Thyrsus

Gonzalez *Dissert.* 13. Testis est Cardinalis de Aguirre, vir ingenii sublimis, ac eruditionis eximiæ, qui de se ipso fatetur *in præf. ad Concil. Hispan.*; quod in Probabilismo, veluti in pulvino molliter prius quiescebat, ejusque studium erat *in examinando potius, an aliquid esset probabile, quam investigando, an esset verum*. Ut tamen peculiari diligentià deprehendit *ingens periculum salutis in sectando, aut consulendo aliis Probabilismo*, statim expergefactus, Probabiliorista evasit. Testis est prædictus P. Reverendiss. Gonzalez Sociorum Generalis Præpositus, cui non aliter, ac præfatis Eminentiss. accidit, ut videre est in ejus, quem edidit de recto usu opinionis probabilis, tractatu. Testis est Reverendissimus P. F. Christophorus a S. Joseph, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, Procurator Generalis in Curia Romana pro Congregatione Hispaniarum, qui cum prius esset Probabilista, [ut referunt Authores illius Operis, quod inscribitur, *Giornale de' Letterati d'Italia*, anno 1711.] novissimè Probabilioristicum, & egregium volumen evulgavit Romæ, Typis Jo. Francisci Chracas. Testes sunt denique alii non pauci, quotidie, primâ ipsis effulgente probabilioristica luce, Probabilismi tenebras relinquentes, & fidissimè in acquisiti luminis splendore perseverantes. Quis autem è tot Probabilioristis unum tantum inveniet factum Probabilistam?

§. III.

RATIONIBUS PROBATUR NOSTRA SENTENTIA.

SUMMARIUM.

1. *Examinatur prima ratio ex qualitate nostri intellectus, qui determinatus ad partem probabilem, non potest*

test alteri opposita minus probabili assensum præbere, nisi nova superveniant motiva sufficientia ad utrumque assensum variandum.

2. *Excluditur quædam Probabilistarum responsio ad præfatam rationem: Et ostenditur, evitandum esse, sub mortali, periculum, etiam tantummodò probabile, lethaliter peccandi.*

3. *Secunda ratio adducitur, evincens, quod qui sequitur opinionem minus probabilem in concursu probabilioris, est dubius de licititate sua operationis.*

4. *Occluduntur Adversariorum evasiones, præsertim de dubio speculativo, & practico; Et multipliciter ostenditur falsitas illius Principii*: Qui sequitur opinionem probabilem *in conflictu*, sequitur dictamen rectæ rationis: *adeoque nullam esse reflexionem, qua sibi blandiuntur, posse tollere dubium practicum ab operante.*

5. *Tertia ratio in favorem Asserti sumitur ex illa Juris regula*. In dubiis tutior via est eligenda. *Nec illam enervant plures, & inanes Probabilistarum glosæ. Quocirca ostenditur*

6. *Primò, quod talis regula exprimit præceptum, & non consilium.*

7. *Secundò, habere vim, & extendi etiam ultra Casus Summis Pontificibus propositos.*

8. *Tertiò quod verificatur non solum in dubiis* Facti *verùm etiam* Juris.

9. *Quartò, tam in foro contentioso, quam in foro Conscientiæ.*

10. *Quinto, tum in dubiis propriè talibus, cùm in dubiis minus rigorosè acceptis, idest etiamsi partes contradictionis non inducant æqualem dubietatem.*

11. *Sextò denique, verificari etiam in dubiis positivis.*

12.

12. *Quarta ratio elucidatur ab inconvenientibus, quæ sequuntur ex opposita Sententia.*

I. PRima ratio fundamentalis desumitur ex Doctrina superiùs allata §. 1. *n.* 3. quam exornat Magister Luccioni *ubi sup. a.* 2. Unus, & idem intellectus, qui subiectivè, ac formaliter in se præstitit assensum alicui sententiæ, quam ipse putat, & cognoscit probabiliorem, non potest, opinioni oppositæ, quam ipse judicat minus probabilem, adhærere, non solùm retinendo assensum erga probabiliorem, sed nec etiam ipsum relinquendo, & alteri adhærendo, nisi superveniant ipsi motiva, & rationes fortiores, quæ rationabiliter ipsum moveant ad primum assensum, & judicium relinquendum, & aliud oppositum de novo efformandum, per quod opinio ipsi priùs probabilior transeat in minus probabilem, & minus probabilis in probabiliorem, eique assensum rationabiliter præstet: Siquidem in hoc casu, judicium practicum, & ultimum operantis (juxta quod quælibet actio humana determinatur ad bonitatem, vel malitiam respectivè,) ita ex motivis, ac rationibus fortioribus adhæsit opinioni probabiliori, ut nec ex parte ipsius intellectus, nec ex parte voluntatis connexivè ad eundem intellectum, possit minus probabili adhærere, quin agat, vel saltem periculo exponatur agendi contra conscientiam, jam per priorem assensum rationabiliter, immò rationabilius efformatam de opere sibi licito, & honesto: Ergo non licet sequi opinionem minus probabilem concurrente, ac relicta probabiliori. Cogor, ad evitandam pro Rudioribus Syllogisticam formam, seu strictiorem scholarum methodum, minus dilucidè, ac minus

ner-

nervosè procedere.

Manifeſtatur ergo prima propoſitio cum ſua implicita probatione, & primò ex parte voluntatis. Hæc enim etſi in practicis habeat movere intellectum quò ad exercitium, nunquam tamen poteſt illum ita movere, ut minùs vero-ſimili faciat aſſentiri, niſi prius ipſe intellectus, ex motivo noviter ſuperveniente, rationabiliter imperet mutationem aſſenſus, modo explicato; Aliòquin poſſet voluntas intellectum cogere ad aſſentiendum obiecto incognito, ſeu quod ipſe non verum, vel ſaltem minus verum, ſeu vero-ſimile cognoſcit, quod eſt contra veram Philoſophiam, ac naturalem modum procedendi intellectus, & voluntatis: Ergo quando intellectus per judicium determinatum, & moraliter certum efformavit conſcientiam de opinione probabiliori, illique firmiter adhæſit, non poteſt Voluntas facere, quòd idem intellectus opinioni minus probabili aſſentiatur.

Ex parte verò intellectus eadem propoſitio ſic probatur. Nam intellectus, ſive practicus, ſive ſpeculativus, prudenter determinatus ad aliquem aſſenſum circa obiectum cognitum, nequit ſimul prudenter aſſentiri alteri oppoſito obiecto, niſi mutando priorem aſſenſum in diſſenſum, & è contra: Sed non poteſt prudenter ſic mutare aſſenſum, niſi ſuperveniente aliquo rationabili motivo ipſum inclinante ad aſſenſum, cui prius diſſentiebatur, vel è contra: Ergo ſemel dato, quod intellectus, per judicium determinatum, aſſenſum præſtiterit opinioni probabiliori, cognitæ ut tali, non poteſt prudenter ac rationabiliter aſentiri opinioni minus probabili, reduplicativè tali: Hæc enim habere nequit ex ſe motivum rationabilius, niſi de ſtatu minus probabili tran-

transeat in probabiliorem, & probabilior in minus probabilem, per aliquam novam rationem fundamentalem, vi cujus intellectus possit, modo explicato, rationabiliter assensum mutare, & conscientiam aliter efformare, aliàs operabitur, vel saltem exponetur periculo operandi contra conscientiam jam prudenter efformatam.

II. Dices, Intellectum practicè determinatum ad assensum de probabiliori parte, non cogi eidem dissentiri, ut parti minus probabili assensum præstet, sed posse utrumque assensum admittere, primum quidem signatè, ac veluti speculativè, ipsum pro illo tunc suspendendo, alterum verò exercitè, ac practicè, adeoque sine ulla læsione prioris assensus, circa quem tam intellectus, quam Voluntas possunt suspensivè concurrere: Consequenter, etsi quis speculativè judicet aliquam opiniònem esse probabiliorem, poterit oppositam minus probabilem amplecti, ac sequi, absque ulla conscientiæ læsione.

Sed contra Primò. Nam supposito ultimo, ac firmo judicio practico intellectus per suum assensum in partem sibi probabiliorem, secundum quam conscientiam formavit de actu sibi licito, & honesto, non est amplius in ejus, aut voluntatis potestate talem assensum suspendere, seu permissivè adhærere minus probabili, absque novo rationabili motivo, quod sit sufficiens ad rationabiliter deponenendam, & reformandam conscientiam per mutationem assensus, modo nuper explicato [nisi affirmare velimus, quod intellectus possit practicè tendere in obiectum minus verum, seù quod sibi potius apparet falsum quam verum,& relinquere magis verum, quod est absurdissimum); Aliàs quæcumque suspensio, vel

vel permissio esse contra dictamen conscientiæ, ac proinde non sine periculo peccandi: Cum ergo nemo possit absque peccato exponere se periculo peccandi, hinc est &c.

Quod autem quis citra culpam lethalem nequeat exponere se periculo nedum proximo, verum & solùm probabili peccandi mortaliter, jam supra innui §. 2. *n*. 1. & iterum sic ostendo contra Caramuelem. Nam ex Doctrina D. Thomæ 2. 2. *q*. 43. *a*. 7. *&* 8. unusquisque tenetur sub mortali subire aliquod damnum temporale ad impediendum scandalum passivum, quod probabiliter eventurum timet ex aliorum ignorantia, vel infirmitate, seu passione. Immo quandoque ad evitandum idem scandalum bona spiritualia ad salutem non necessaria, sunt differenda; aliàs præbere quis dicetur occasionem ruinæ, ipsique imputabitur peccatum. E. G. Plautilla die feriali templum aditura, ad audiendum ex mera devotione Sacrum, si prævidet, ob sui pulchritudinem, probabiliter exarsurum ejus concupiscentiâ Sempronium, vel aliquem Adolescentem indeterminatè ex pluribus, qui simul confabulantur, eamque ad templum euntem conspecturi sunt, debet differre, aut etiam totaliter omittere illo die auditionem Missæ, domique morari; alioquin a peccato scandali non excusabitur: Ergo multo magis unusquisque tenetur sub mortali non se exponere probabili periculo lethaliter peccandi; quia Charitatis præceptum strictius obligat ad impediendum peccatum in se, quam in aliis.

Insuper, tenemur vitare probabile periculum inferendi proximo damnum temporale, ut si Medicus cognoscat, pharmacum a se decies exhibitum, seu appli-

catum ægrotis, quinquies illis nocuisse, nequit illud ulterius præbere, quia dum aliud suppetit pharmacum tuto salutiferum, non potest uti medicamento dubio, ut est communis Doctorum sententia, & nos demonstrabimus infra §. V. *n.* 14. Ergo à fortiori tenemur evitare probabile periculum inferendi nobis damnum spirituale, committendi, scilicet, peccatum mortale.

Ponamus ergo casum, quod Coriolanus sex vicibus cum Domitia fuerit conversatus, ac ter ex impuro ad illam desiderio pollutus, non poterit ulterius, citra mortalem culpam, cum Domitia versari, si perpensis omnibus circumstantiis, probabiliter credat, seu timeat, vel timere debeat, se iterum casurum, tametsi etiam probabiliter existimet se non peccaturum. Ita dictat Prudentia; quæ si ex duobus malis, quorum unum est inevitabile, minus eligendum edocet, multo magis insinuat, inter partes contradictionis eam eligendam esse, in qua nullum adest periculum mali, seu legem transgrediendi, & peccati mortalis, eâ relictâ, in qua tale periculum invenitur. Et certè imprudens foret, qui, absque necessitate, ac urgentissimâ causâ, vellet per Sylvam transire, in qua probabiliter timeret a latronibus se expoliandum, etiamsi aliquam probabilitatem haberet de opposito, eò quia cum sex vicibus per illam transiret, ter solummodo fuisset expoliatus, ac ter evasisset illæsus. Ita in præsenti. Equidem nonnulli forsan putant, idem esse periculum probabile, ac periculum remotum. Sed notabiliter falluntur. Nam sicuti periculum proximum, seu occasio proxima importat *certitudinem moralem labendi* in peccatum, in quantum quis in ea constitutus non potest, secundum judicium Viri prudentis, lapsum
non

non expectare: Ita periculum remotum secum affert *certitudinem moralem non labendi*, quatenus prudentialiter potest unusquisque judicare, ac *certò* sibi persuadere, moraliter loquendo, non adfuturum peccatum in tali periculo, seu occasione; ut constat ponderanti utriusque periculi naturam. Periculum autem probabile est veluti medium inter utrumque, & pòtius accedit ad periculum proximum, quam ad remotum, & importat *probabilitatem labendi*, & *probabilitatem non labendi*, ideſt, quod quis in eo positus forsan, aut probabiliter cadet, & forsan, aut probabiliter non cadet: Sicque tale periculum constituit hominem in dubio, vel saltem in morali formidine de peccato in ipso perpetrando; ac proinde qui illud non evitat, dicitur velle probabiliter peccatum: Nam juxta Doctrinam communis Doctoris, superius dilucidatam, & inferiùs etiam non semel recolendam, ubi agitur de peccato mortali, qui discrimini se committit, & habet moralem formidinem de licititate sui actus, & operationis, mortaliter peccat. Unde quamvis citra culpam lethalem possit quisque non evitare periculum remotum peccandi, secus verò periculum probabile. Hæc obiter dicta sint.

Contra secundò. Magis & minus probabile, seu opinio probabilior, & opinio minus probabilis subjectivè respectu ejusdem intellectus, non se habent ut tutum & magis tutum, ideſt tanquam duæ differentiæ accidentales, solum diversæ penes magis, & minus ejusdem speciei, E. G. Magis, & minus album, magis, & minus clarum, itaut pariformiter opinio minus probabilis sit tuta, probabilior verò magis tuta, adeoque possit intellectus, absque mutatione assensus, ac reformatione con-

ſcientiæ, quamlibet ex his ad libitum ampleċti ſine ullo peccandi periculo (ſicuti de facto ex duabus diverſis opinionibus poteſt ſequi eam, quæ tuta eſt, etiam in conflictu, & relictâ alterâ tutiori]; Sed ſe habent ut duæ differentiæ eſſentiales, ac ſpecificæ, inter ſe oppoſitæ, ac adverſæ, ſicut lucidum, & obſcurum, tutum, & non tutum, probabile, & improbabile, vero-ſimile, & non vero-ſimile, loquendo ſemper ſubiectivè reſpectu ejusdem intellectus, qui eatenus opinioni magis probabili firmum aſſenſum, & opinioni minus probabili diſſenſum præbuit, quatenus cognovit, ſecundum illam eſſe conſcientiam prudenter efformandam de licititate, & honeſtate alicujus actus, hic, & nunc eliciendi, non verò ſecundum iſtam: Ergo niſi noviter ipſi ſuperveniat aliqua major ratio, deſumpta ſaltem ex aliqua circumſtantia perſonæ, loci, temporis, vel hujuſmodi, quæ prudenter ipſum moveat ad variandum ultimum dictamen, ſeu judicium priùs factum, ita ut valeat ei rationabiliter aſſentiri, cui prius diſſentiebatur, diſſentiri, cui aſſenſum præſtiterat, adeoque opinio ſibi minus probabilis, & non tuta, tranſeat in probabiliorem, ac tutam, & è contra, ſeu, ita ut ſibi reddatur probabile, quod ſibi improbabile videbatur, & è contra, non poteſt abſque conſcientiæ gravamine, opinioni ſibi minus probabili practicè adhærere, eique aſſenſum præbere, ſimul retinendo, quamvis tantummodo ſuſpenſivè, ac permiſſivè, aſſenſum erga ſibi probabiliorem; Aliòquin daretur ſimul duplex aſſenſus de duabus contradictoriis, tanquam de ſimul veris, quod eſt impoſſibile.

Et certè, quomodo poteſt intellectus ultimum judicium ſuum actionis directivum, jam formatum de parte

te probabiliori, suspendere, cum de illa non solum nullatenus dubitet, aut formidet, sed eam insuper indubitabilem, ac moraliter certam supponat, oppositam vero minus probabilem, in alterius conflictu, subjectivè judicet improbabilem sibi, quinimmo falsam, sic quod probabiliori comparata, omnem suam deperdat probabilitatem?

Neque hoc ultimum sit mirum, aut videatur gratis dictum. Siquidem, ut docet D. Th. 1. *p. q.* 50. *a.* 1. *ad* 1. quod mediat inter duo extrema, si uni ex ipsis comparetur, videtur esse alterum; E. G. tepidum frigido comparatùm, videtur esse calidum, comparatum verò calido, videtur esse frigidum. Fuscum comparatum ad nigrum, album dicitur; nigrum autem, si comparetur ad album. Quia ergo opinio probabilis veluti mediat inter probabiliorem, seu moraliter certam, & improbabilem, seu falsam, esto huic comparata verè probabilis appareat, & vera; Comparata tamen, seu in conflictu probabilioris, & in ejus concursu [præsertim si notabiliter probabilior sit], improbabilis, & falsa reputatur; adeò ut tota ejus probabilitas amittatur, sicuti adveniente Solis fulgore, Stellarum splendor evanescit. Vid. inf. §. 5. *nn.* 20. *&* 21.

III. Probatur secundò nostra Sententia. Non est licitum in operando sequi conscientiam dubiam, ut omnes concedunt, non solum quia conscientia dubia non est conscientia recta, secundum quam unusquisque debet operari, sed etiam quia tunc operans exponit se periculo peccandi, adeoque peccat: Sed qui sequitur opinionem minus probabilem in concursu probabilioris, sibi notæ ut talis, est dubius de honestate, & liceitate

sui

sui actus, & operis; quia dubium tunc datur, non solum quando utrinque sunt motiva æqualia, (quæ scilicet, formant æquilibrium metaphysicum, vel mathematicum,) verum etiam quando sunt quasi æqualia, (nempe cum quilibrio morali,) quia quod parum distat, nihil distare videtur; & ita expressè docent Sylvester *V. Dubium n.* 2. ac D. Antonin. 1. *p. tit.* 20. *de reg. Juris*, & habetur ex D. Thoma *q.* 14. *de Ver. a.* 1. ac ex ipso observant Mercorus *p.* 2. *a.* 7. Charlas *cap.* 24. & alii apud ipsum; adeoque operans juxta opinionem minus probabilem, tantò magis erit dubius, quantò pars opposita habet validiora motiva, & cognita ut talia; Ergo non licet sequi opinionem minus probabilem, subjectivè in eodem operante, concurrente oppositâ ut probabiliori.

IV. Respondent Probabilistæ, & inter eos prællegatus Anonymus *num.* 35. Dubium, quod tunc remanet in operante, esse merè speculativum, de objecto scilicet in universali, ac per judicium directum, & in quantum ipse operans, vel nequit ex se solvere argumenta pro parte opposita militantia, vel quia non percipit vim solutionis, quæ à Viris doctioribus traditur eisdem argumentis: Non est autem dubium practicum, impediens rectè, ac licitè hic, & nunc operari; quia per judicium reflexum, quod est omnino ultimum, operans fit certus, se posse opinionem minus probabilem amplecti, & juxta illam operari. Quod judicium reflexum fit hoc, vel alio consimili modo: *Qui sequitur sententiam probabilem, sequitur dictamen rectæ rationis*; Quia recta ratio dictat, quod ex eo, quòd sententia probabilis est, digna est ut approbetur, tum propter intrinsecas ejus rationes,
cum

cum propter extrinsecam Authoritatem gravium DD. qui dicunt eam esse probabilem, & rectam regulam juxta rationem operandi: *Sed qui sequitur opinionem minus probabilem in concursu opposita probabilioris, sequitur sententiam probabilem;* aliàs ipsa non esset aut diceretur minus probabilis, si non esset probabilis, quia comparativum supponit positivum: *Ergo qui sequitur sententiam minus probabilem in concursu probabilioris, sequitur dictamen rectæ rationis*. Quapropter operans in hoc casu, & hac demonstratione certificatus de licititate suæ operationis, non dicitur sequi conscientiam dubiam.

In hac Responsione situm est præcipuum, ac ferè unicum Adversariorum fundamentum; quapropter ad eam, tanquam ad arcem defensionis, festinanter recurrunt, quando validissimis Probabilioristarum premuntur argumentis. Quam ob rem oportet eam funditus evertere ad plenum, & notorium Veritatis Triumphum. Et in primis, ut quælibet æquivocatio, seu error circa præsentis difficultatis intelligentiam vitetur:

Recolendum ex dictis, sermonem hic esse de duabus propositionibus contradictoriis, quarum una, favens libertati, affirmet aliquam actionem esse licitam, E.G. pingere in die festo: & hæc sit minus probabilis; Altera verò stans pro Lege, sit negativa, videlicet, non esse licitum pingere in die festo: & hæc sit probabilior: Et ambæ istæ contradictoriæ versentur circa idem omnino obiectum: Aliòquin extra quæstionem disputamus, puta, si una opinio dicat, non esse licitum pingere in die festo, absolutè loquendo; Altera vero licitum esse gravi urgente necessitate. Supposito igitur quod Pictor E.G. cognoscat probabilius sibi non esse licitum in die festo

festo suam artem exercere, difficultas est, an possit, hoc non obstante, in praxi sequi oppositam sententiam, quam cognoscit minus probabilem, quòd, scilicet, sibi liceat in die festo suam artem exercere. Affirmant Probabilistæ, mediante aliqua reflexione, prout nuperrimè innuimus in ipsorum responsione; Ad quam penitus profligandam,

Contra eam primò sic arguo ex dictis in prima probatione. Judicium illud reflexum, vel superaddit aliquod rationabile motivum, medio quo possit operans prudenter mutare judicium directum, & assensum priorem, secundum quem conscientiam jam efformavit in dissensum, & è contra, adeoque opinionem sibi probabiliorem fieri sibi minus probabilem, & è converso; Vel non superadditur tale motivum. Si dicatur primum, ergo operans non agit juxta opinionem sibi minus probabilem, sed juxta illam, quæ ex novo, & gravi motivo sibi facta est probabilior, secundum quam mutat priorem dissensum in assensum, & priorem assensum de opposito in dissensum, cum hæc facta sit sibi minus probabilis, ex rationabili motivo noviter superaddito. Si dicatur secundum, Ergo nunquam potest operans adhærere opinioni sibi adhuc minus probabili, & secundum eam ultimum conscientiæ dictamen prudenter regulare, cùm jam eandem conscientiam ultimò efformaverit ex directo judicio de opinione probabiliori; Aliàs, ut supra vidimus, intellectus, etiam per tale judicium reflexum, tenderet in obiectum minus verum, ac minus veri-simile; quod est absurdum. De facto tamen verum est, (& a Probabilistis negari non potest, si velint nobiscum loqui de opinione minus probabili, in actuali,

ac si.

ac ſimultaneo conflictu oppoſitæ probabilioris reſpectu ejuſdem intellectus,) per tale judicium reflexum nihil ſuperaddi, quo rationabiliter variari poſſit judicium directum conſcientiæ formativum; adeoque non poſſe operantem, abſque propriæ conſcientiæ gravamine, ſeu quin ipſe ſequatur conſcientiam dubiam, & ex conſequenti quin peccet, opinioni minus probabili adhærere. Quod ut manifeſtius fiat,

Secundo impugno allatam reſponſionem, & adductam reflexionem. Ut judicium ſit rationabiliter, ac prudenter directivum, & ultimò formativum rectæ conſcientiæ, itaut quis ſecundum illud valeat licitè operari, debet eſſe (ut omnes fatentur) ſaltem moraliter omnino certum, adeoque excludens a conſcientia omnem dubietatem,[ut §.præcedenti vidimus ex D.Thoma), ac moralem de rectitudine operationis formidinem, nempè, ut nullum timeatur periculum, & error, conſideratis rationibus propriis, & circumſtantiis, quæ in humanis actibus accidere ſolent [ad differentiam formidinis logicæ, quæ ſolum admittit erroris periculum remotum, non repugnans rectitudini operationis in quibuſcumque perſonis timoratæ conſcientiæ] : Aliòquin operans exponeretur periculo peccandi; Et inſuper, quia conſcientia definitur, *Judicium præconſultatum & certum, immediatè directivum humanæ operationis*: Judicium autem, ſeu dictamen rectæ conſcientiæ, eſt dictamen prudentiæ, de cujus ratione eſt habere moralem certitudinem, excludentem quamcumque moralem formidinem quod opus non ſit licitum, & honeſtum: Sed judicium illud reflexum, *qui ſequitur ſententiam probabilem, ſequitur dictamen rectæ rationis &c.* non eſt omnino certum mora-

liter, modo explicato, cum negetur ab omnibus Probabilioriſtis, dignitate, numero, & ſapientiâ potioribus, ut ex dictis conſtat: Ergo non poteſt eſſe rationabiliter, ac prudenter directivum, & ultimò formativum rectæ conſcientiæ; ac proinde operans, in vi ejuſdem judicii reflexi contra id, quod directè judicat probabilius, ſemper agit ex conſcientia dubia, & per conſequens peccat. Ex quo

Confirmo argumentum. Tale judicium reflexum non poteſt præſtare intellectui certitudinem illam, quam in ſe non habet: Sed in ſe non habet certitudinem moralem ſufficientem, & neceſſariam ad tollendam ab intellectu dubietatem practicam, quam habet de operatione propter directum judicium, ſecundum quod conſcientiam formavit de oppoſito, tanquam de probabiliori: Ergo non poteſt illam intellectui præſtare: Ergo adhuc *intellectus* remanet practicè, & non ſolum ſpeculativè dubius: Ergò qui tunc operatur juxta ſententiam minus probabilem in concurſu probabilioris, quantumvis exiſtente prædicto judicio reflexo, exponit ſe periculo peccandi, & peccat.

Ultra quod, ſicuti ex contingenti non-niſi contingens poteſt ſequi; ita ex probabili, & fallibili non-niſi probabile, ac fallibile: Ergo non aliquid moraliter omnino certum, prout requiritur ad licitè operandum. Forſan-ne Probabiliſtarum Authoritas dabit præfato judicio reflexo eam certitudinem, quam illi denegant D. Aug. D. Thomas, Scotus, D. Antoninus, & mille alii ex PP. ac DD. quotieſcumque actio aliqua a lege Divina, vel naturali ratione diſſentiat? Qui hoc præſumit audiat prælaudatum Auguſtinum apud Gonet *Man. to.*
3. tr.

3. *tract. 3. c. 16. pag. mihi* 271. *Ecce* (inquit) *dat tibi securitatem Procurator, quid tibi prodest, si Paterfamilias non acceptet? Procurator sum, Servus sum, vis tibi dicam? Vive, quomodo vis, Dominus te non perdet: Securitatem tibi Procurator dedit, nihil valet securitas Procuratoris: Utinam tibi Dominus securitatem daret, & ego te securum facerem. Domini enim securitas valet, etiam si nolim; mea nihil valet, si ille noluerit*. Quis autem affirmabit, Deum securitatem promisisse operantibus juxta sententiam minus probabilem, in concursu oppositæ probabilioris, suæ sanctissimæ legi faventis; ac moralem certitudinem, excludentem omnem formidinem, præstare huic judicio reflexo: *Qui sequitur sententiam probabilem, sequitur dictamen rectæ rationis?* Congruit igitur hac in re Lactantii monitum attendere: *Ne trahamur authoritate cujusquam, sed Veritati potius accedamus. Nullus hic temeritati locus est: In æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit*. ap. eundem Gonet *ibid.*

Contra Tertiò sic argumentor ex Mercoro *p.2.a.18.* Estò præfatum principium, *Qui sequitur sententiam probabilem, sequitur dictamen rectæ rationis*, verificari possit, quando probabilitas importat certitudinem moralem de honestate actus, excludentem non solum dubium formale, verum etiam moralem formidinem de opposito, prout requiritur ad operationem prudentialem, idest conformem rectæ rationi, (cum prudentia sit directiva operationum juxta rectam rationem]; non tamen verificari potest, quando deest hujusmodi certitudo moralis, ut jam vidimus, & omnes fateri tenentur: Sed opinio minus probabilis in conflictu oppositæ probabilioris,

 mo-

morali certitudine caret. Tum quia contra eam magis urgent rationes probabiliores, quod sit falsa, quam propria suadeant motiva, quod sit vera. Tum etiam quia aliàs in eodem intellectu darentur duæ contradictoriæ simul moraliter certæ, ac veræ, nempe, opinio magis, & opinio minus probabilis, quod implicat: Ergo illud Probabilistarum principium non verificatur de opinione minus probabili, in conflictu oppositæ probabilioris; adeoque non remanet probabilis; prout requiritur ad omnem tollendam moralem dubietatem, & formidinem practicam ab intellectu.

Quamvis igitur sententia probabilis ut sic, & simpliciter sumpta, possit esse regula rectæ operationis, quando non existit, nec haberi potest major certitudo de obiecto, (ad quam obtinendam diligens præcesserit inquisitio,) quia tunc vim sufficientem habet ad actualiter flectendum intellectum in ejus assensum, saltem opinativum (quod solum, & non aliud probant multa, quæ adducunt Adversarii, & inutiliter coacervat Peguleti per plura sui Operis capita): Hoc tamen non habet in concursu probabilioris, respectu ejusdem intellectus, quia tunc probabilitas est impedita, cum de minus probabili in concursu probabilioris, intellectus nequeat opinari.

Quod utique sic ostendo (præter superiùs dicta, & alia plura dicenda in Appendice secunda *num.* 32. qui locus omnino videatur):

Primò: Quia in dubiis, & quando partes habent rationes, & motiva actu æqualiter urgentia, nequit intellectus ad unam ex illis se determinare, sed necessariò, & non liberè, remanet dubius. Tum quia non ma-

magis moventur versus unam, ac versus aliam partem contradictionis, sed naturaliter remanet anceps; sicut statera, propter æqualia pondera in utraque lance posita, non magis in unam, ac in alteram partem inclinat. Tum etiam quia judicium opinativum, quod format intellectus de æquali probabilitate utriusque partis in hoc situm est, quod utraque sibi non magis appareat vera, quam falsa, cum alterutra ex proprio motivo appareat vera, & ex motivo suæ oppositæ appareat falsa; adeoque cum motiva judicandi sint æqualia, utraque pars æqualiter apparebit falsa, & utraque æqualiter apparebit vera. Constat autem, quod nullus intellectus potest judicium opinativum formare de aliqua propositione, quæ sibi videtur æqualiter vera, & æqualiter falsa: quia opinari est judicium efformare de veritate unius partis contradictionis cum formidine alterius. Tum denique, quia sicut Judex non potest ferre sententiam in favorem alterutrius ex partibus, quando jura sunt utrinque æqualia, sed debet partes componere, ni velit iniustitiam committere in eam partem, contra quam judicium proferret, & conscientiam propriam gravare, ut communiter asserunt DD. & ego manifestabo infra §. V. *n.* 12. Ita intellectus, qui est Judex, non potest rectum judicium opinativum ferre de alterutra ex partibus, quando habet æqualia motiva, & quod sit vera, & quod sit falsa: Ergo multò minus potest opinari, seu judicium opinativum formare de parte debiliori, nempe minus probabili, relictâ probabiliori, eâ scilicet, quæ in conflictu habet fortiora motiva ipsum flectentia ad assensum erga illam, & per consequens ad dissensum erga alteram, utpotè sibi tunc apparentem potius falsam, quam veram.

Se-

Secundò. Intellectus in judicando semper, pro suo posse, tendit in id, quod est, vel sibi apparet verius, & refugit id, quod magis existimat accedere ad falsum quam ad verum; quia ejus obiectum est verum, & aliàs quanto magis aliqua potentia tendit in suum obiectum, a suo opposito abhorret, & elongatur, ut patet inductivè: Sed sententia magis probabilis apparet verior, quam minus probabilis: Ergo intellectus ita tendit in illam, ut refugiat istam, nec possit de ipso ullatenus, etiam opinativè, judicare: Alioquin sequeretur, quod intellectus posset existimare veram illam sententiam, quæ sibi magis apparet falsa, & simul existimare falsam, quæ sibi magis apparet vera; quia in quantum quis unam opinionem existimat veram cum aliqua formidine, (quod est opinari,] alteram oppositam existimat falsam eodem modo, cum duæ contradictoriæ non possint esse simul veræ, aut simul falsæ.

Neque dicas propositiones, quæ sunt in conflictu respectu ejusdem intellectus, non esse propriè contradictorias, sed aliquâ modalitate affectas, puta, *Pingere in die festo mihi probabilius non est licitum, & pingere in die festo mihi minus probabiliter est licitum*; adeoque virtute hujusmodi modalitatum, *probabilius*, & *minus probabiliter* poterit intellectus sic uni parti tanquam probabiliori assentiri, ut simul valeat alteri, ut minus probabili adhærere.

Non, inquam, hoc dicas. Etenim modalitates illæ non sunt id, in quod immediatè ac directè tendit judicium intellectus, sed præsuppositivè se habent, et se tenent ex parte motivi judicandi. Obiectum autem directum judicij est hoc. *Pingere in die festo est illicitum.*

Et

Et hoc judicium format intellectus ex principiis vero-similioribus, adeoque probabilius veris, et communicantibus tale verum *probabilius* tum prædicto obiecto, tum ipsi intellectui subiectivè: Ergo si semel Intellectus judicavit, quod *pingere in die festo est illicitum*, etiò ut quid solùm probabilius verum, idest non omnino evidenter verum, sed ex motivis tantùm vero-similioribus, non poterit de hac opposita & contradictoriâ propositione *pingere in die festo est licitum* âliquod judicium efformare, tametsi de aliquo ut minus probabiliter vero, seu ex motivis minus veri-similibus, idest minus probabiliter veris; Aliòquin simul tenderet directè, ac immediatè in duas propositiones tam obiectivè, quam subiectivè, ac respectu sui ipsius verè contradictorias; quod est impossibile.

Igitur contradictio formaliter sita est inter ly *est licitum*, & ly *est illicitum*, seu *non est licitum*, & quidem de eodem obiecto, E. G. *Pingere in die festo*. Quod postea esse licitum, vel non licitum probetur ex motivis magis, vel minus probabilibus, constituentibus proinde opinionem magis, vel minus probabilem, hoc non transfert contradictionem formaliter ad ipsas intransitivè opiniones, vel modalitates afficientes easdem opiniones, ita ut penes eas, earumque modos attendenda sit contradictio, sed solum talia motiva, & modalitates extrinsecè, ac merè præsuppositivè considerantur, ut dictum est.

Deinde, ista propositio modalis, *pingere in die festo mihi probabilius non est licitum*, *seu probabilius est, mihi non esse licitum pingere in die festo*, includit istam, *probabile est mihi non esse licitum pingere in die festo*, nam quod

quod est probabilius, a fortiori est probabile: Ergo quotiescumque intellectus meus formavit judicium, & præstitit assensum huic ultimæ propositioni, *probabile est mihi non esse licitum pingere in die festo*, non potest aliud judicium per assensum facere de sua contradictoria, *probabile est mihi esse licitum pingere in die festo*: Quia inter partes Contradictionis intellectus remanet dubius, nec potest opinari, ut probavimus; aliàs quodcumque judicium esset ex conscientia dubia, adeoque non sine peccato: Ergo nec poterit intellectus meus assensum præstare huic modali propositioni, *minus probabile est mihi esse licitum pingere in die festo*; Nam quod est minus probabile, idest probabile in conflictu, adhuc est probabile, secundum Adversarios, esto minus: Ergo si intellectus meus non potest per assensum opinari de ista propositione, *probabile est mihi esse licitum pingere in die festo*, in conflictu suæ oppositæ, *probabile est mihi non esse licitum pingere in die festo*, quia dubium impedit opinari; multò minus poterit assentiri, & opinari de ista propositione modali, *minus probabile est mihi esse licitum pingere in die festo*, in concursu alterius modalis, cui præstitit assensum, nempe, *probabilius est mihi non esse licitum pingere in die festo*; quia tunc magis esset dubius de honestate, & licitate suæ actionis, propter majorem probabilitatem de ipsius illicitate.

Addo, præfatas propositiones, etiam ut explicitè modales, esse verè, dialecticè, ac propriè contradictorias, & non solum quòad propositiones de dicto, quas includunt. Et ratio est; quia ut duæ propositiones modales sint contradictoriæ, debet modus unius affirmari, & modus alterius negari: Hoc autem verificatur in

præ-

prædictis propositionibus. Siquidem quando dicitur, *Probabiliùs est mihi esse illicitum pingere in die festo*, *et minus probabile est mihi esse licitum in die festo*, idem formaliter sonat ac si dicatur, *Probabile est mihi esse licitum pingere in diè festo*, et *improbabile est mihi esse licitum pingere in die festo*; quia, ut ex dictis constat,& magis etiam infra dilucidabitur, Opinio minus probabilis in conflictu probabilioris oppositæ redditur improbabilis, cum intellectus ita uni ex illis adhæreat, tamquam vero conformi, ut alteram oppositam, tamquam falso consonam, seu vero difformem necessario reiiciat; quia cum intellectus semper tendat in verum, aut vero-simile, & opinio probabilior ipsi saltem verisimilior appareat, non potest non averti a minus probabili oppositâ tanquam a falso-simili, seu potius falsâ, quam verâ, adeoque improbabili. Cum ergo *probabile*, & *improbabile* sint modi propriè, ac dialecticè oppositi contradictoriè, hinc est, quod præfatæ propositiones modales verè sunt contradictoriæ, quæ secundum omnes, non possunt esse simul veræ. Quocirca evanescit responsio, quam ad præcedentem doctrinam, nixus dialecticis regulis, novissimè conatur adducere ex Jo. de Cardenas Nicolaus Peguleti, in suo tract. Probabilitatis *cap. 3. n.* 53

Ex dictis manifestè infertur, illud Probabilistarum argumentum, (vel aliud consimile,) in quo constituunt vim judicii reflexi, videlicèt, *Qui sequitur sententiam probabilem, sequitur dictamen rectæ rationis: Sed qui sequitur sententiam minus probabilem in concursu probabilioris, sequitur sententiam probabilem: Ergo qui sequitur sententiam minus probabilem in concursu probabilioris, sequitur dictamen rectæ rationis*, non esse Syllogismum, sed paralogismum,

 quia

quia includit quatuor formaliter terminos propter variationem ſuppoſitionis. Nam in prima propoſitione ſententia probabilis ſtat, & ſupponit pro probabilitate, ſimpliciter, & abſolutè ſumptâ: In ſecunda verò ſtat, & ſupponit pro probabilitate in conflictu majoris probabilitatis, adeòque impeditâ ad moraliter certificandum intellectum, ipſumque flectendum in ſui aſſenſum. Unde ſicuti committitur fallacia compoſitionis ſic arguendo: Quieſcens poteſt deambulare: Sed Petrus, dum ſedet, eſt quieſcens: Ergo Petrus, dum ſedet, poteſt deambulare: Ita in prædicto Probabiliſtarum argumento; fit enim tranſitus a ſenſu diviſo ad compoſitum.

Remanet igitur a primo uſque ad ultimum, quod qui ſequitur opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris, eſt non ſolum ſpeculativè, ſed etiam practicè dubius de licitate ſuæ operationis, adeoque ſe exponit periculo peccandi, & conſequenter peccat. Alìoquin ſi probabilitas in conflictu alterius, & præſertim majoris probabilitatis, eſſet medium ſufficiens ad practicè certificandam conſcientiam, eſſet inferendum, neminem unquam poſſe operari ex Conſcientia practicè dubia; quia cum dubium formale tunc habeatur, quando utrinque dantur rationes probabiles ad invicem pugnantes, ut vidimus ex D.Th., probabilitas ipſa quamvis ab altera oppoſita impugnata, conſcientiam dubiam operantis redderet certam, adeòque omnis conſcientia dubia eſſet certa, & nemo unquam operaretur ex conſcientia dubia; quod eſt manifeſtè falſum. Quis enim vellet ex conſcientia dubia operari, ſi ſtante eadem cognitione, poſſet ex conſcientia certa operari?

Nec

Nec minimum valet ad ſuadendum, non dari in operante dubium practicum, ex eo, quod etſi propter majorem probabilitatem oppoſitam, ipſe prævideat, quod ſe exponit periculo errandi, adeòque materialiter peccandi, dum adhæret minori probabilitati; nihilominus etiam cognoſcit ſe ab errore, ac peccato formali excuſandum, ſi error fortè contingeret, quia ex motivis probabilibus ad partem minus probabilem ſe determinavit.

Siquidem tum ex D. Thoma, cum ex huc-uſque adductis demonſtrationibus manifeſtè liquet, in conflictu opinionum probabilitatem unius, faventem libertati, (& præcipuè ſi probabilitas ſit minor ſuâ oppoſitâ,) non eſſe ſufficientem ad moraliter hic & nunc certificandum intellectum de honeſtate ſuæ operationis, nec operantem eximere a peccato formali, tam ſi de facto ipſum errare contingat, quam ſi errandi periculo ſe exponat, ad illam partem, in qua periculum adeſt, ſe determinando; Quod ulterius ſic oſtendo. Qui non facit quod in ſe eſt ad evitandum errorem, quem prævidet fortè eventurum, & commodè poteſt evitare, culpabiliter, & formaliter errat, ut ex lumine naturali conſtat: Sed qui dubitat de licititate ſuæ operationis propter opinionum contrarietatem, E. G. an pingere in die feſto, ſibi ſit licitum, non facit quod in ſe eſt ad evitandum errorem, quem prævidet probabiliter eventurum, & commodè poteſt ipſum evitare, (quia ſuppono abeſſe urgentiſſimam neceſſitatem operandi, E. G. pingendi in die feſto); Ergo ſi ad libitum ſe determinat ad operandum, ſcilicet pingendum in die feſto, culpabiliter, & formaliter errat; ac proinde operatur cum dubio pra-

 ctico

ctico, quod nunquam est sine formali peccato, utpote contra conscientiæ rectitudinem.

Et certè, si,ut optimè advertit Mercorus *lo. sup. cit.* formaliter peccat, qui operatur ex ignorantia crassa, quia aliquam suspicionem (& non rigorosum dubium) habet de errore, quem potest evitare, & non evitat, quanto magis formaliter peccabit, qui est dubius propter opinionum contrarietatem, si ad unam partem se determinat, in qua prævidet periculum errandi, cum magis errorem prævideat, quam qui operatur ex ignorantia crassa? Ergo dubium illud erit dubium practicum a formali peccato non immune: Ergo formaliter peccat, qui operatur ex opinione minus probabili in conflictu oppositæ probabilioris.

Quapropter Tullius *lib.* 1. *Offic.* naturali lumine ductus sic fuit effatus: *Quocirca bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum sit an iniquum. Æquitas enim lucet ipsa per se: Dubitatio autem cogitationem significat iniuriæ*. Quæ verba exponens Vincentius Baron *tom.* 1. *moral. disp.* 1. *sect.* 2. Sic ait: *Fateor vix me posse hæc verba legere, quin pudore, & dolore afficiar maximo: Quod Theologi eas summas æquitatis leges corrumpunt, quas Ethnici religiosè sanciverunt. Quid enim dolendum magis, aut Theologo indignius, quam ex dubitatione an res æqua sit, aut impia, Ethnicos inferre, esse illicitam, & ipsam etiam dubitationem habere nocendi cogitationem: Ex iis verò capitibus, idest ex probabilitate utriusque partis Theologos deducere, nos a lege exemptos, & licere quid quid libuerit, etiam illa, quæ probabilius est honesto adversari? Sed stupendum magis est, qui hanc legem justitiæ a Philosophis sancitam in pejus interpretantur, contendere, hanc suam*

sen-

sententiam communem esse totius Ecclesiæ sensum, & addendam Decalogo quasi undecimum præceptum ejusdem cum aliis decem authoritatis, & ponderis. Quis credat potuisse Christiano ulli venire in mentem illud incredibile Paradoxum, opinionem probabilem eandem cum tuta, & quamlibet inæqualiter probabilem, seu pro libertate, seu pro lege stet, æquè tutam esse?

Clarius, & compendiosius explicatur ex dictis, præfatum dubium practicum hoc modo. Etsi aliqua opinio speculativè dubia de honestate operationis, possit fieri practicè probabilis, si aliquod superveniat motivum, vel ratio, aut circumstantia, vi cujus tollatur dubietas, si tamen nulla de novo occurrat in praxi circumstantia, quæ totaliter dubium auferat, etiam speculativum, semper dubia in praxi remanebit opinio; quia dubium practicum oritur ex dubio speculativo, & in ipso fundatur, adeòque quod est speculativè dubium, est etiam dubium practicè, nullo superveniente rationabili motivo, tollente speculativam dubietatem. E.G. supponamus esse dubium speculativè, an pingere in die festo sit licitum, semper in praxi erit dubium pingere diebus festivis, nisi aliqua de novo adveniat circumstantia, puta, urgentissima, seu extrema necessitas, quæ dubium illud speculativum auferat, & reddat operationem, videlicet pingere in diebus festivis, certò moraliter licitam. Hoc autem non accidit in difficultate opinionum: Quia eligens opinionem minus probabilem in concursu opinionis probabilioris, ita est speculativè dubius de honestate suæ operationis, ut nulla ei in praxi superveniat circumstantia, quæ tale dubium speculativum auferat, quia omnibus practicè perpensis circum-

stan

ſtantiis, nempe Authoritatibus Doctorum, rationibus alicujus ponderis adhuc cognoſcit, ſuam opinionem eſſe minus probabilem, & minus veriſimiliorem alterâ oppoſitâ, ac proinde ſemper eam remanere ſpeculativè dubiam: Ergo etiam in praxi dubitabit, cum nullum in praxi non dubitandi novum motivum habeat vel circumſtantiam: Ergo formaliter peccabit, ſe in praxi ad opinionem minus probabilem determinando, quia practicè dubius operabitur.

Ex quo apertiſſimè liquet, quod quando contra aliquam opinionem probabilem militat aliqua probabilior de lege, aut præcepto, non eſt amplius cenſenda probabilis, nedum practicè, verum nec ſpeculativè; quia judicium ſpeculativum non poteſt legem declinare, immo debet illi eſſe conforme, præſertim cum ſuper illud fundetur judicium practicum, novâ non ſuperveniente cauſâ, variante judicium ſpeculativum, ut jam dictum eſt.

V. Probatur tertiò noſtra ſententia ex illa regula in utroque Jure, præſertim Canonico, pluries decantatâ, & fundata in lege naturali, omnibus dictante periculum peccandi eſſe vitandum, ac propriam ſalutem non eſſe diſcrimini exponendam, videlicet; *In dubiis tutior via eſt eligenda*, de reg. juris *in 6. reg. 65*. In qua illud verbum *Tutior* non ſtat comparativè, (ut allucinantur nonnulli,) ita ut ſupponat poſitivum partis contradictoriæ, ſcilicet *Tutum* [ſiquidem ſupra oſtendimus, eſſe tantummodo de conſilio non de precepto ſequi part em tutiorem comparativè]; Sed ſtat *contrariè*, *ſeu adverſativè* ad aliam ſcilicet contradictionis partem, de q ua certò non conſtat eſſe tutam; ita ut Regula ſic verificetur: Quod quan-

quando inter duo contradictoria dubitamus, quæ-nam pars sit licita, & quæ-nam illicita, debemus eam eligere, quæ tuta est & omni caret periculo peccandi, eâ relictâ, quæ in tali dubio tuta non est. Utimur autem pluries in humanis negotiis consimili phrasi loquendi. Solemus E. G. dicere: *Melius est mori quam peccare*. Quod dictum utique non sic est intelligendum, quasi quod sit bonum mori, & etiam sit bonum peccare, melius autem mori; Sed est sensus, de his duobus malum esse peccare, & bonum mori; juxta illud Danielis 13. ℣℣. 22., & 23. *Angustiæ sunt mihi undique: Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini*. Et 1. Cor. 7. ℣. 9. *Melius est nubere, quam uri*.

Sed [subsumo) quando respectu ejusdem intellectus sunt in conflictu duæ oppositæ opiniones, quarum una probabilior, quæ stat pro præcepto, negat actum esse licitum, altera verò minus probabilis, quæ favet libertati, & affirmat actum esse licitum, intellectus est practicè dubius de liciticate actus, ut abundè probavi: Ergo illa pars eligenda est, quæ sola est tuta, eâ relictâ, quæ tuta non est. Sed opinio minus probabilis in concursu probabilioris tuta non est, quia contra eam militant fortiores rationes, & motiva probabilioris, quod magis sit contra legem, & peccato exposita, quam propria suadeant argumenta, quod sit legi conformis, & a peccato tuta, ut ostensum est, & magis in argumentorum solutionibus innotescet: Ergo probabilior semper est eligenda.

Non me latent quamplures Adversariorum evasiones, ad vim hujus regulæ, apud Sacros Canones, & San-

Sanctos Patres, & Doctissimos Viros celeberrimæ declinandam.

VI. Quidam enim respondent, eam exprimere consilium, non præceptum.

Sed contra primò. Nam etsi, ut diximus, eligere partem tutiorem sit merum consilium, quando altera pars est tuta, & per consequens, quando ly *Tutior* sumeretur comparativè; Est tamen præceptum, quando altera tuta non est, sed periculo moraliter certo peccandi exposita, & sumptâ illâ particulâ *tutior* contrariè [sicuti re-vera sumitur in prædicta regula); quia ita dictat, adeòque præcipit lumen naturale: Atqui pars minus probabilis concurrente probabiliori non est tuta: Ergo ex his tutiorem, nempe probabiliorem eligere est de præcepto.

Contra Secundò: Quia verba, quibus ea regula a Sacris Canonibus exprimitur, sunt absoluta, & imperativa, immo ut advertit Natalis *De peccatis tr.* 1. *c.* 4. *reg.* 17.) quandoque pœnarum inflictiva contra transgressores: Non enim dicunt Summi Pontifices *melius esse* partem tutiorem eligere, sed *In dubiis tutior via est eligenda*. Præterea *in Decretal. lib.* 4. *t.* 1. *de Sponsalibus c. Juvenis*, Eugenius III. sic dicit: *Quia igitur in his, quæ dubia sunt, quod CERTIUS existimamus, TENERE DEBEMUS.* Et post pauca subdit: *Propter prædictam dubitationem MANDAMUS &c.* Item lib. 5. tit. 12. de homicidio volunt. vel casuali cap. 12. *Ad audientiam*, ita legitur ex Clem. III. *Quod cum in dubiis semitam DEBEAMUS eligere TUTIOREM &c.* Tandem aliis omissis, eodem. tit. c. 18. *significasti*, ex Inn. III. præfata regula eisdem fermè verbis exponitur; & insuper additur ratio: *Pro eo quod*,

quod in altero [ideſt in parte tutiori) *nullum*, *in reliquo verò magnum periculum timeatur*: Ergo hæc regula, *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, non eſt conſilii tantum, ſed præcepti.

Quocirca non pauci Gallicani Epiſcopi, ac celeberrimæ Accademiæ ſupra recenſitæ, ſequentem propoſitionem reprobarunt: *Hæc regula Juris, IN DUBIIS TUTIUS ELIGENDUM perfectionis eſt, non obligationis, ſeu conſilii, non præcepti.*

VII. Alii dicunt, eam regulam non extendi ultra caſus Summis Pontificibus propoſitos.

Sed contra. Nam Summi Pontifices in dandis præfatis reſponſionibus, aſſignarunt eam regulam, ut earum principium univerſale probativum: Ergo ipſam conſiderabant tanquam communem regulam prudentiæ, ac rectæ rationis in quibuſcumque ſingularibus dubiis negotiis adhibendam. Quapropter Gloſſa in d. cap. *Juvenis*, ait: *Sic ergo patet, quod in dubiis SEMPER certius eſt tenendum*. Et certè regula illa, *In dubiis tutior via eſt eligenda*, adducitur a Jure inter ſuas octoginta & octo regulas ut quid univerſale ad omnes caſus dubios occurrentes reſolvendos.

VIII. Alii aſſerunt, verificari in dubio facti, quod verè eſt dubium practicum importans periculum legem tranſgrediendi, E.G. quando dubito, an hoc prædium ſit meum, vel alienum, ut licitè poſſim illud vendere: Non verò habere locum in dubio juris, quale eſt illud, quod oritur ex contrarietate opinionum probabilium inter DD. circa aliquam propoſitionem univerſalem, an E.G. ſit licitum pingere in die feſto: Et hujuſmodi dubium, inquiunt, eſt merè ſpeculativum, nullum ha-

L bens

bens periculum contra legem faciendi, virtute probabilitatis opinionum.

Sed contra primò. Nam ex præallegatis casibus a Summis Pontificibus juxta viam tutiorem resolutis, aliqui saltem sunt manifestè circa dubia juris, non facti, ut legenti patet: Ergo præfata regula etiam in dubiis juris locum habet.

Contra secundò. Quia, ut subtiliter ratiocinatur Mercorus *ubi sup. a.* 10. Sicuti in speculativis, conclusio aliqua potest esse dubia, aut falsa ex dubietate, aut falsitate majoris propositionis, vel minoris, quia conclusio semper sequitur debiliorem, seu deteriorem partem: Ita in moralibus conclusio particularis practica, quæ est dictamen conscientiæ ex Sillogismo practico deductum, per quod Voluntas dirigitur ad operandum hic & nunc, potest esse dubia, vel ex dubietate majoris propositionis, ortà ex diversitate opinionum, quàm ex dubietate minoris, quæ est dubietas facti (nam in Sillogismo practico, seu practicè concludenti, major propositio debet esse universalis de materia morali, minor verò est particularis de facto particulari]: Ergo si per Adversarios dubium facti, quod est in minori propositione, causat dubium practicum in conclusione, quæ est particulare dictamen conscientiæ ad hic & nunc operandum, etiam dubium juris in majori propositione universali, ortum ex contrarietate opinionum, causabit dubium practicum in eadem conclusione: Ergo cum nemo possit operari ex conscientia dubia, sive dubietas ejus oriatur ex dubio facti, sive juris, & opinionum, quia utrunque, utpote ejusdem rationis, importat periculum legem transgrediendi, sequitur quod illa regula, *In dubiis tutior*

tior via est eligenda, in dubio tam facti, quam juris locum habeat.

IX. Alii prædictam regulam volunt habere vim in foro contentioso, non in foro conscientiæ.

At perperam. Nam, præter alia, quæ dici possent in Clementina *Exivi* Tit. *de Verborum significatione;* ubi Clemens V. in Concilio Viennensi, respondens Fratribus Ordinis Minorum, qui Apostolicam Sedem rogaverant, an sub mortalis peccati periculo tenerentur ad observantiam eorum, quæ in Regula S. Francisci modo imperativo exprimuntur, Sic ait: *Nos itaque, qui in sinceris* (nota hanc particulam, quæ contradistinguitur a ly scrupulosis] *horum conscientiis delectamur, attendentes, quod in his, quæ ANIMÆ SALUTEM respiciunt, ad vitandos graves REMORSUS CONSCIENTIÆ, PARS SECURIOR EST TENENDA. Adeoque licet Fratres non ad omnium, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in regula, sicut ad præceptorum, seu præceptis æquipollentium observantiam teneantur; Expedit tamen ipsis Fratribus ad observandam puritatem Regulæ, & rigorem, quod ad ea, sicut ad æquipollentia præceptis, se noverint obligatos, quæ inferiùs adnotantur.*

X. Minus urgent aliæ duæ ad eandem regulam Probabilistarum glossæ: Quarum

Prima est, ipsam verificari in dubiis, quæ utrinque habent rationes, & motiva æqualiter ad dubitandum inducentia. Unde cum hujusmodi dubia perquam rarò contingant, & tunc etiam difficulter cognoscantur, rarò etiam adest necessitas prædictæ regulæ.

Secunda est, eam servandam esse, quando ex partibus contradictionis una stans pro lege, probabilis est,

altera verò libertati consona probabilitatem non attingit: Tunc enim de ista dubitatur, an sit vera; Sicque pars illa præferenda est, quæ tutior est, scilicet quæ legi est conformis.

Non, inquam, urgent. Siquidem prima est contra suos Auctores. Nam si in dubiis habentibus hinc indè motiva æquilibrantia, tutior pars est eligenda, ut evitetur periculum peccandi, a fortiori eadem eligenda erit, quando ex partibus contradictionis una est alterá probabilior, quia tunc magis augetur dubium de actus liciditate, quam pars minus probabilis tuetur: Quapropter tunc probabilior, tutiorque omnino est præferenda, ad periculum errandi, ac transgrediendi legem evitandum.

Posterior glossa ad rem non pertinet, & est extrà difficultatem. Quando enim una ex partibus contradictionis non est secundum se probabilis, in concursu alterius posita nullum producit dubium, cum altera opinio tunc sit omnino certa, saltem moraliter, adeoque nullum admittat dubium, nulla opinione contra se militante. Quocirca in eo casu non est opus uti illâ regulâ, *In dubiis tutior via &c.* Sed facillimè ab omnibus, quantumvis rudibus, cognoscitur quid resolvendum, nempe, abiiciendam esse opinionem illam libertati consentaneam, omni carente motivo veritatis.

XI. Tandem alii eandem regulam subterfugere cupientes, dicunt, eam valere in dubiis merè negativis, in quibus intellectus noster nullum habet argumentum sive ex Auctoritate, sive ex ratione petitum, in favorem alterutrius partis contradictionis; & eapropter in neutram potest assensum præstare, sed manet suspen-
sus:

ſus: Non autem habere locum in dubiis poſitivis, ſeu opinativis, ortis è probabilibus DD. opinionibus. In his enim docent, unumquemque poſſe ad libitum quamlibet ex illis opinionibus, patrocinio probabilitatis, amplecti.

Videas quæſo, quot, ſed fruſtra, quærunt diverticula probabilitatis Fautores.

Contra igitur hoc ultimum, Primò: Quia dubium negativè, [quod ab Adverſariis vocatur propriè dubium,) minus propriè dicitur dubium, cum potius ignorantia dici debeat, quia nulla ſuppetit ratio, nullumque ex alterutra parte aſſentiendi fundamentum. Sed quidquid ſit de hoc,

Contra ſecundò. Quia hujuſmodi reſponſio nonniſi eorum eſſe poteſt, qui nunqam legerunt prædictos Canones ſupra relatos, Cap. *Significaſti*, Cap. *Juvenis*, & Cap. *ad Audientiam*. In ipſis etenim evidenter conſtat, dubia fuiſſe poſitiva, & rationes pro utraque parte non defuiſſe. Immo etſi nuper adducto Cap. *ad Audientiam*, pars tutior eſſet minus probabilis, ut ibidem videri poteſt, nihilominus Clemens III. eam eligendam decernit, eò quod *In dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem*. Videatur etiam per extenſum caſus expreſſus in prællegato textu Cap. *Juvenis*, & innoteſcet, fuiſſe a Pontifice Eugenio deciſum in favorem partis tutioris, licèt minus probabilis: Unde multò magis idem præſtaſſet, ſi pars tutior, probabilior fuiſſet, ut contingit in præſenti materia, de qua diſputamus.

Præterea lib. 3. Decretal. Cap. 3. *Veniens* de Presbytero non baptizato. Inn. III. partem tutiorem eligit in ferenda ſententia ſuper dubio, utique tunc poſitivo, ac diſ-

disputationi exposito, an scilicet, essent Sacri Ordines iterum ei conferendi, qui cum baptizatus crederetur, & non erat, Sacerdotio fuerat initiatus (quâ in re nulla modo est difficultas, cum certum sit, non baptizatum non esse capacem Ordinis charactere). *Cumque super Ordinibus*, (inquit Summus Pontifex) *fuisset diutius disputatum*..... [hic adducit rationes utrinque militantes) *Nos in hoc DUBITABILI casu, quod TUTIUS est sequentes, mandamus, quatenus ipsum per singulos Ordines usque ad Sacerdotium promovere procures &c.* Ergo illa juris regula in dubiis positivis locum habet.

Contra tertiò. Ideò in dubiis negativis tutior via est eligenda, quia aliàs sic dubitans, & nulli rationi adhærens, alterutram ex partibus eligendo, exponeret se periculo peccandi, adeoque peccaret, cum esset paratus aliquid æquè bonum, & malum operari: Sed etiam in dubiis positivis hoc accidit, quia opinans habet utrinque positivam rationem timendi & bonum, & malum, adeoque in operando se exponit periculo peccandi, & consequenter peccat, si partem tutiorem non eligat: Ergo quoque in dubiis positivis prædicta regula servanda est; & eò magis, quò augetur dubium potius operandi malum quam bonum, ut accidit in sequela opinionis minus probabilis stantis pro libertate, in conflictu probabilioris, faventis præcepto. Num pejoris conditionis est in operando, qui peccatum ignorat, seu qui nescit id, quod agit, esse peccatum, quam sit ille, qui novit se probabilius peccare in operando? Immò negativè dubitans melioris debet esse conditionis, & aliqualiter excusandus a peccato, quia nulli positivæ rationi resistit; secus autem opinans, seu positivè dubitans

tans. *Ille Servus, qui cognoscit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis* Luc. 12. Ṽ. Ṽ. 47. & 48.

Quod si respondeas primò, dubitantem positivè, seu opinantem, semper operari cum animi præparatione ad bonum formaliter, &, si malum fortè sequatur, hoc esse per accidens, & materialiter malum.

Contra sic insurgo. Tum quia etiam negativè dubitans sic est dispositus ad bonum formaliter, ut non eligeret rem dubiam, si constaret ipsi esse contra divinam legem, alioquin alteram potius partem eligeret; *Nemo enim intendens ad malum operatur*, ut ex D. Dyonisio Areopagita fert commune proloquium. Proinde si, hoc non obstante, dubitans negativè non excusatur a peccato, seu malo formaliter, pariter nec opinans, seu dubitans positivè. Tum etiam, quia quonam pacto potest concipi, opinantem operari cum animi præparatione ad bonum formaliter, cum liberè, ac voluntariè operetur, & eligat id, quod minus bonum formaliter cognoscit, & potius contra legem, quam pro lege? Igitur non *materialiter* tantum, sed *formaliter* peccat, non declinans ab eo, quod probabiliter, immo probabilius malum esse cognoscit. Etenim quando voluntas nostra omittit quod certissimè omni caret periculo etiam *materialiter* transgrediendi legem, & amplectitur id, in quo ejusdem legis violandæ, saltem *materiliater*, periculum inest, cum liberè hoc faciat, peccat etiam formaliter: Quia *materialis* transgressio legis, accedente voluntate, necessariò *formalis* evadit, ut optimè advertit Charlas c. 7. Ex quo iterum remanet occlusum aliud ex præci-

cipuis Probabiliitarum aufugiis.

Si ſecundò reſpondeas,dubitantem negativè a peccato non excuſari, ratione culpabilis negligentiæ, quæ cauſat veritatis ignorantiam; benè verò excuſari opinantem, quia Probabilitate fulcitur.

Contra iterum eſt. Nam ſi ignorantia ejus, quod quis ſcire poteſt, ac tenetur, non excuſat à peccato in operando, propter culpabilem negligentiam ad habendam veritatis cognitionem, & ad evitandum periculum peccandi, quanto minus excuſabitur opinans, qui cognità veritate ſibi obviâ factâ in parte tutiori, ipſam refugit, ad illam partem accurrens, in qua falſitatem potius, quam veritatem agnoſcit? Num Probabilitas poterit hoc liberè volitum violandæ legis periculum inculpabile conſtituere? *Mira profectò natura probabilitatis!* [perbellè ludit nuper laudatus Charlas.) *Siquidem non poteſt, quamvis ſit major, obligare ad vitandum periculum violandæ legis Divinæ, ac naturalis; poteſt autem quamvis ſit minor, a peccato, ſaltem formali, purgare legis violationem.*

XII. Probatur quartò noſtra Sententia ab inconvenientibus, quæ ſequuntur ex oppoſita. In primis enim exceſſiva ætatis noſtræ apud nonnullos opinandi licentia (tametſi ex parte plurimis Summorum Pontificum cenſuris, in tot proſcriptis aſſertionibus, quaſi frœno cohibita,] totam poteſt ſucceſſu temporis legem, tum humanam, tum Divinam, & naturalem funditus evertere. Siquidem cum perſæpe de earundem legum præceptis nobis non ſuppetant evidentes rationes, cuicumque facillimum erit ex utcumque apparentibus motivis, ideſt rationibus probabilibus, ab illorum obſervantia ſe ſubtra-

trahere. Et certè ex illimitato usu opinandi jam huc venimus, ut ferè nullum sit in moralibus, quinimmò & naturalibus præceptum, nulla Veritas, quæ Probabilitatis subsidio, luxuriantibus ingeniis, & novis in dies excrescentibus Probabilistarum Voluminibus, non labefactetur.

Audiatur Prosper Fagnanus in Cap. *Ne innitaris*, Ubi luculenter hoc declarat, dicens: *Nullum est dubium quin omnis regula morum possit everti ex libertate opinandi, non modo in præceptis humanis, sed etiam in Divinis, & naturalibus, dum de ipsis interdum non occurrunt rationes demonstrativæ. Unde his temporibus eò res perducta est, ut nullus fere sit articulus in moralibus, in quo non sit varietas, vel contrarietas opinionum, adeò ut in solo Opere non ita pridem impresso Resolutionum moralium Antonini Dianæ numerentur in unum collectæ Quæstiones supra ter mille* [in Antonio Escobar invenies alias sexcentas & viginti, ut fertur,) *cum opinionibus, & Anthoribus pro utraque parte plerumque affirmantibus, aut ambas esse probabiles, aut unam probabilem, & alteram probabiliorem, in quibus ferè omnibus agitur de peccato mortali. Quare hac Doctrina probabilitatum videtur fovere veluti quandam libertatem conscientiæ, ac proinde magnoperè indigere dextera Dei, & Beatissimi Romani Pontificis provisione, ne venenum, jam plus nimio dilatatum, ulterius serpat. Quapropter non immeritò Antonius Merenda in suo Tractatu de hac materia novissimè impresso, in præfatione p. 7. rotundis verbis affirmat, usum probabilitatum esse COMMENTUM DIABOLI ad enervandam vim præceptorum.* Ap. Gonet. *ubi supra*. Sicut etiam ibi Crispinus a Borgia sic effatur: *In rebus moralibus vix datur Casus, in quo non sint*

duæ opiniones contradictoriæ, & probabiles, & hoc punctum ita ad punctum reduxit Caramuel, ut vix sit aliquod Præceptum Ecclesiasticum, quod eludi non possit, si ejus Doctrinæ, quam probabilem putat, adhæreamus: Nam duas opiniones contradictorias sequi quemlibet posse, probabile esse contendit. Ex quo fit, ut nemo teneri videatur præcepto jejunandi, audiendi sacrum, recitandi horas Canonicas, & alia hujusmodi.

Cum igitur hominis natura in malum semper sit prona ab adolescentia sua, & solis concupiscentiæ stimulis ad omne flagitiorum genus proclivis, si a laxioribus opinionibus in sensus libertatem magis inclinetur, ne dicam suaviter compellatur, quid non timendum? Si tot Casuum Scriptores (qui gravium Doctorum plausu apud multos insipienter circumferuntur,] in aliorum benignas, ut ajunt, & ut plurimum falsas opiniones, fraudolenti Probabilitatis ductu inciderunt, adeò ut plures ex ipsis opinionibus, quæ prius singulares erant, factæ sint apud eos probabilissimæ, licitissimæ, atque communes: Qua promptitudine populorum turba junctis manibus doctrinas hujusmodi, veluti e Cœlo donatas, in deplorabilem suarum animarum perniciem suscipient, & ad praxim deducent? Addiscunt utique a Regulis Probabilitatis eorumque Magistris nova dogmata, Venerabilibus, Patribus nostris, & Evangelio semper ignota, Politici nonnulli, ea Principibus in praxi consulentes. Ex quibus Unus docuit, in materia Immunitatis Reges non teneri sequi sententias communes, sed Probabiles. Addiscerent quoque Infideles non teneri ad Fidem suscipiendam, si cum probabili cognitione necessitatis Baptismi, probabile quoque putarent se non teneri

neri propriam sectam relinquere: Nisi fulmen e Vaticani culmine lapsum, hujusmodi probabilitatem enecasset: *Ab Infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione probabili*. Inn. XI. in quarta ex propositionibus ab ipso damnatis. Addisceret totus Mundus alia quamplurima contra rationem, legemque naturalem, divinam, & humanam, ni Apostolica Sedes os loquentium falsa sub Anathemate obstruisset. At vereor, ultra progressuram opinandi libertatem in maximum Ecclesiæ detrimentum, nisi penitus enervetur.

Præterea, hisce temporibus, immoderato Probabilitatis usu, adeo contemptibilis facta est Theologia moralis, ut non paucos videas se venditantes Casuistas, & Theologos, antequam Scholarum fores attigerint: *Volentes esse Legis-Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. (1. Tim. 17.] Jam non quæritur Scientia, quæ rem per causam cognoscat cum reductione ad prima Veritatis principia, & clarâ in oppositum argumentorum solutione. Sat est intra quindecim dies ex Recentioribus Probabilistis aliquem legere, ut unusquisque pusillus Clericus valeat contra D. Thomam, contra Scotum, aliosque insignes Theologos temerè proferre sententiam. Si petas ab eo, quid de aliqua quæstione morali sentiat, an licitum sit hoc, vel illud: Absque cunctatione responsum exhibebit, *licitum esse*. Si causam inquiras; unicam pro quacumque dabit difficultate, *quia est Sententia probabilis, quam sustinet, vel Tamburinus, vel Diana, vel Layman, vel Bonacina cum aliis Scriptoribus ab eis citatis*. En quomodo resolvuntur omnes, etsi difficillimæ, controversiæ; quin sit opus ad rectè operandum, & animæ periculum evitandum, veri-

tatem inquirere juxta monitum Ecclesiastici c. 37. ℣. 20. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile*. Imò & Aristotelis 1. *Ethic. cap.4.* Nullus modo in studio labor, nulla temporis diuturnitas, nulla ingenii applicatio in Theologorum Scholis. Nosse sufficit, an res sit dubia, adeoque hinc inde habeat aliquas rationes probabiles, & probabilitatis Doctores, ut quis possit cum hac dubia notitia, tantummodò de sua dubietate certus, dubius Confessarius, & Parochus audacter effici, ad animas dubiè dirigendas in dubiam æternæ vitæ semitam, & cum manifesto suæ, & aliorum damnationis periculo, ut ex his, quæ huc-usque expressa sunt, evidentissimè constat.

Concludendum igitur, ab Ecclesia eliminandam esse hanc laxæ Probabilitatis Doctrinam, tot inconvenientium, tot malorum scaturiginem; Ac proinde Probabilioristicum Assertum omnino, & ab omnibus indiscriminatim eligendum, videlicet, *Non licere sequi opinionem minus probabilem, faventem libertati, altera concurrente probabiliori stante pro præcepto*. Ita Divinæ paginæ sentiunt: Ita ex antiquis Traditionibus edocent Sancti PP. Ita Romani Pontifices, Concilia, Purpurati, Religiosorum Ordines, Episcoporum Conventus, Accademiæ, Doctores innumeri, rationes efficacissimæ probant.

§. IV.
DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.
SUMMARIUM.

1. AN *subsistat illud Probabilistarum Principium*: Qui probabiliter agit, prudenter operatur.

2. *Reiicitur illa distinctio* de certò probabili, & proba-

babiliter probabili, *& ostenditur nil Probabilistis favere.*

3. *An per censuram contra illam propositionem:* Generatim dum probabilitate, sive intrinseca &c. *aliquid passa sit Probabilistarum opinio.*

4. *Paritates de Judice in ferenda sententia, de Rege in bello indicendo, de Medico in medendo, an valeant etiam ad universaliter probandam veritatem probabilioristicæ sen tentiæ.*

5. *Evanescunt omnes angustiæ, ac veluti desperationes, quas fingunt Adversarii ad opinionem probabiliorem eligendam.*

6. *Iterum ostenditur falsitas illius Principii.* Qui probabiliter agit &c.

7. *Qui-nam meritò dicantur, & verè sint Doctores Classici, & Graves.*

8. *An contra Probabilioritatem aliquid urgeat illud Evangelicum dictum.* Jùgum meum suave est, & onus meum leve.

9. *Ostenditur, quæ-nam Sententiæ propriè dici debeant & sint benignæ, quæ-nam verò laxæ.*

10. *Quædam alia enodantur argumenta contra positum Assertum.*

11. *Reiiciuntur etiam Cardenas, & Peguleti.*

I. PRæcipua jam diruta sunt ex dictis Probabilistarum fundamenta. Verum ne lapis eorum supra lapidem remaneat,

Obiicies primò. Qui probabiliter agit, prudenter & securè agit, quia illam sequitur opinionem, quæ a pluribus, gravibus, & Classicis Authoribus sustinetur, & solido innititur fundamento, aliòquin opinio proba-

babilis non esset: Sed qui eligit opinionem minus probabilem libertati faventem, in conflictu suæ oppositæ probabilioris, agit probabiliter, ideſt ſecundum opinionem probabilem: Ergo prudenter ac securè agit; Consequenter nulli exponitur periculo peccandi, nec peccat

Hoc argumentum, quod eſt baſis fundamentalis probabiliſtici Ædificii, ex dictis in §. præcedenti labefactatur. Nihilominus ut penitus evertatur,

Reſpondetur primò, illud principium, *Qui probabiliter agit, prudenter agit*, ſi ſumatur ad intentum, & prout a Probabiliſtis accipitur, falſiſſimum eſſe.

Primò, quia Prudentia non eſt opinio, ut docet Ariſtoteles *6. Ethic. c. 3.* Et etiam favet ratio. Nam prudentia eſt virtus: Opinio autem non; quia (ut habetur ex D. Th. 1. 2. *q.* 57. *ad* 3.) Virtus intellectualis promptè ducit intellectum in ſuum obiectum, quod eſt verum. Cum igitur opinio non minus dirigat intellectum ad verum, quam ad falſum, quia tendit in illud cum formidine, quod poſſit eſſe falſum, proinde virtus eſſe non poteſt: adeoque nec *probabile* poteſt eſſe obiectum prudentiæ. Nam probabile & opinabile idem valent, quia probabile eſt apparens verum, ideſt quod judicatur verum, cum aliqua formidine, quod aliter eſſe poſſit: Et hoc eſt opinabile.

Secundò. Præfatum principium vel eſt omnino certum, ac demonſtrabile, vel eſt ſolum probabile. Primum dici nequit: Tum quia nullâ ratione demonſtrativâ probatur. Tum etiam, quia negatur a nobiliori, & majori numero Doctorum, ut abundè ſupra oſtendimus. Si dicatur ſecundum (ſicuti re-vera fateri debent

Ad-

Adversarii): Ergo per ipsum non potest intellectus moraliter certificari de rectitudine operationis cum exclusione cujuscumque moralis formidinis de opposito ; adeoque nec esse obiectum prudentiæ : Quia hæc, cum sit virtus intellectualis practica, necessariò exigit in suo obiecto certitudinem saltem moralem .

II. Neque dicas, illud principium , *Qui probabiliter agit, prudenter agit*, esse probabile, non utcumque, sed certo probabile, tum ex solidis ejus fundamentis, tum ex tot gravibus Doctoribus, qui illud tuentur, & esse certo probabile asseverant. Unde potest reddere intellectum moraliter certum de honestate actus: Ad differentiam ejus, quod est tantum probabiliter probabile , idest , quod esse probabile , solum est probabile, & a nonnullis ut probabile defenditur, sed ut plurimum ab aliis improbabile judicatur .

Non, inquam, hoc dicas. Etenim certo probabiles limites probabilitatis, sive intrinsecæ, sive extrinsecæ non excedit ; adeoque est semper incertum, & dici debet certò incertum ; consequenter nequit certitudine morali regulare dictamen Conscientiæ, ut omnis procul abigatur moralis formido de rectitudine operationis , sicut requiritur ad tuto, ac prudenter operandum . Ultra quod, si illud dicitur solum probabiliter probabile, quod ab aliquibus tantum, ut probabile defenditur , sed ut plurimum ab aliis improbabile judicatur ; Cum præfatum principium a solis Probabilistis approbetur ut probabile, a majori vero numero Doctorum, ut vidimus, reprobetur ut falsum, jam certo probabile non erit .

Sed quia præfata distinctio de *certo probabili*, ac de so-

solum *probabiliter probabili* sæpe auditur inter Probabilistas, docentes, quod opinio minus probabilis, sed certo probabilis, est licitè, ac tuto eligibilis, quamvis probabiliori relictâ; secus autem opinio, quæ solum est probabiliter probabilis: Idcirco, ut cognoscatur, ad se tuendos a Probabilioristarum Doctrinis, & argumentis, incassum eos laborare ejusmodi distinctionem adhibendo,

Sciendum est ex Aristotele 1. *Top.* quod probabilia sunt illa, *quæ videntur Sapientibus, vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis*, idest præcipuis authoritate, ac dignitate in ordine Scibili. Quocirca opinio illa dicitur *certò probabilis*, quæ a multis defenditur Authoribus magni nominis, præsertim qui rem ex professo examinarunt; nec habet contra se aliquod Apostolicum Decretum, definitionem Concilii, aut rationem, quæ eorundem Sapientum opinionem falsitatis redarguat; imo gaudet fundamentis, ac motivis ita magni momenti, ac superexcedentibus fundamenta, & motiva opinionis oppositæ, ut a nullo gravi Doctore possit justè ut improbabilis existimari, & de facto talis non existimetur. Illa vero dicitur opinio *tantum probabiliter probabilis*, quæ solum a paucis inferioris notæ Doctoribus defenditur ut probabilis, ab aliis autem numero, ac merito potioribus, ut improbabilis, & falsa judicatur.

Unde, ut aliqua opinio minus tuta in conflictu sit practicè certo probabilis, nedum requiritur, ut operaturus sciat, eam absolutè, secundum se, ac seorsim sumptam, esse certo probabilem, sed insuper eam talem esse comparativè ad suam oppositam, nempe quod eam post diligentem Veritatis inquisitionem, prudenter judicet

dicet esse moraliter certam & veram, aut saltem longè, & cum manifesto excessu verisimiliorem alterâ. Si enim non obstante ejus probabilitate, quamvis aliqualiter majori, sibi persuaderet, talem opinionem minus tutam esse falsam, ejusque Fautores fuisse deceptos, aut ex passione, vel inconsideratione illam ut certo probabilem sustinuisse, non posset in praxi eam eligere. Ratio hujus est: Tum quia aliàs operaretur contra propriam conscientiam, ut constat. Tum etiam quia *probabile* idem sonat, ac *dignum ut approbetur*, ut supra diximus; adeoque *certò probabile* idem erit, ac *certò dignum ut approbetur*, seu quando in talibus circumstantiis est certum, quod intellectus possit illud approbare ut verum, vel saltem longe, ac notabiliter vero-similius. Quomodo autem aliqua opinio prudenter existimari potest certò digna ut approbetur ab eo, qui eam potius judicat, (vel judicare potest ac debet) falsam, quàm veram, vel saltem non magis veram quàm falsam? Quocirca absurdissimè scripsit Verricellì *t. 2. q. 5.* in hæc verba: *Puto me posse operari secundum opinionem unius gravis Recentioris contra Communem, & contra propriam opinionem, quamvis judicem illam esse falsam ex principiis intrinsecis.*

Igitur licet intellectus, cui aliqua opinio minus tuta, apparet minus vero-similis, quam opposita, vel saltem non magis vero-similis illa, possit judicare, eam esse probabilem, & etiam certò probabilem apud illos Authores, qui eam propugnabant ut veram, aut vero-similiorem propter motiva, quæ putabant valde præponderantia motivis opinionis oppositæ; non tamen potest judicare, [judicio firmo, & non vacillante, seu cum exclusione cujusque moralis formidinis de malitia opera-

tionis, prout requiritur ad licitè, ac tutò agendum, juxtà non ſemel ſupra tradita) ipſam *ſibi* eſſe certò probabilem modo explicato, propter rationes adductas. Cum ergo in operando, & *in iis, quæ ad propriam perſonam pertinent*, debeat unuſquiſque *informare* [ſcilicet formare) *conſcientiam ex propria ſcientia*, & non ex aliena, prout habet communis Doctor 2.2. *q.* 67. *a.* 2. *ad* 4. quatenus homo in agendo ſequi non poteſt aliorum opinionem, niſi hæc per proprium aſſenſum, & judicium prudens a rationis dictamine regulatum, fiat ſua, hinc eſt &c.

Addo, quod ut actio humana ſit recta, debet eſſe conformis Divinæ, ac æternæ Legi, quæ eſt primaria regula noſtrorum actuum, & a qua regulari debet quæcumque regula ſecundaria, cujuſmodi eſt hominum judicium & opinio: Ergo ut quis rectè, ac licitè operetur, debet judicare, quod hominum opinio, quam vult ſequi, ſit vera. Quia non aliter, quam per veritatem, ea poteſt divinæ legi conformari, affirmando, ſcilicet, ut licitum id, quod lex divina ut licitum admittit. Ergo ſi juxtà proprium judicium quis putet aliquam opinionem eſſe falſam, [tametſi aliis, qui eam tuentur, videatur vera,) ſeu potius falſam quam veram, vel non minus veram quam falſam, non poteſt talis opinio *ſibi* eſſe recta operandi regula, ſed prava & primæ regulæ contraria; adeoque nec *ſibi* certò probabilis, ideſt certò digna, ut *ab ipſo* approbetur, tanquam principium directivum ſuæ operationis. Ut quid ergo Probabiliſtæ tam inuliliter inſudant in hac diſtinctione *de certo probabili*, ac *de probabiliter probabili*, quæ [ut clarè oſtendi] nil juvat ad tuendam ſequelam opinionis minus tutæ, ac fa-

ven-

ventis libertati, quando est in conflictu alterius, magis aut æquè probabilis stantis pro præcepto?

Tertiò respondetur principali argumento, quod ab Inn. XI. anno 1679. 2. Martii inter 65. propositiones, tertia in ordine proscripta est ista: *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*. Igitur falsum est universaliter, prudenter agere, qui probabiliter operatur, ac proinde Adversariorum Sententia, falso, ac ferè damnato innititur fundamento.

III. Insurgit in Probabilistarum tutelam Anonymus ille recentior in suo pluries hic allegato Opusc. *nn. mihi* 47. & 48. dicens: Per Apostolicum hoc decretum nec in pilo fuisse tactam Sententiam benignam. Etenim ibi damnatur quæcumque Probabilitas *quantumvis tenuis*; & adducuntur illæ duæ particulæ *Generatim*, ac *semper*. Sententia verò benigna docet, quod *in conflictu opinionum liceat nonnunquam adhærere minus probabili faventi libertati, relicta probabiliore favente præcepto*. Ubi non admittitur probabilitas tenuis, (quæ potius improbabilitas vocanda est, quando, scilicet, a probabilitate majori opposita valde superexceditur, & a probabilitatis gradu deiicitur,] sed tantummodo minus probabilis in comparatione, quæ in se considerata, non semel maxima est. Similiter excluduntur illæ dictiones *Generatim*, & *semper*, in quibus fundatur illius propositionis condemnatio: Nam in pluribus casibus non licet sequi opinionem minus probabilem, E. G. dum Judex debet ferre sententiam &c. Quocirca propositio ab Inn. XI. damnata, prout jacet, haud facilè apud ullum Auctorem inveni-

tur: Nec Tamburinus, cui præcipuè adſcribitur, apponit illum terminum *Generatim*.

Verùm hæc omnia nil, aut parum proſunt Authori. Quia etſi per adductam cenſuram directè non feriatur Sententia illorum Probabiliſtarum, qui eam ſatis limitaverunt, nihilominùs quia ex tali condemnatione præcipuum ejus fundamentum (in quo etiam cautiores Probabiliſtæ potiſſimum fundantur] a priori valdè infirmatum eſt, idcirco in intimis præcordiis vulnus paſſa eſt. Damnat ibi Summus Pontifex aſſerentem, univerſaliter prudenter agere operantem ex probabilitate, quantumvis tenui. Et certè ſermo eſt de vera probabilitate, quamvis tenui in comparatione validioris; nam additur, *modo a probabilitatis finibus non exeatur*. Si enim non eſſet, aut cenſeretur verè probabilis, jam a finibus probabilitatis egrederetur, contra id quod ſupponitur, aut exprimitur in propoſitione, quæ non obſtante tali vera probabilitate damnatur. Subſumo: Sed hæc propoſitio deducitur ab illo principio, *Qui probabiliter agit, prudenter agit*: Ergo ſi conſequens eſt falſum, pariter & antecedens, ex quo ſequitur.

Laudanda eſt quidem Auctoris, & aliorum adducta moderatio videlicèt, improbabilem reddi ſententiam aliàs probabilem, quando valde ſuperexceditur ab oppoſita probabiliori, quia tunc a gradu probabilitatis deiicitur: At non ſufficit hæc limitatio ad ejus defenſionem. Siquidem §. præcedenti evidenter oſtendi hoc accidere in quocumquè probabilitatis exceſſu ad favorem legis, nec poſſe intellectum in tali conflictu opinari de parte minus probabili; quæ licet ſignatè ſpeculativè, ac in ſe conſiderata probabilis ſit, non tamen practicè,

ac

ac exercitè, seu in conflictu probabilioris oppositæ, quæ verior, seu verisimilior apparet, & secundum quam proinde debet intellectus prudenter assensum omnino præstare.

IV. Nec etiam sat est ad Authoris intentum, quod in quibusdam casibus non sit licitum, seu prudentiale secundum opinionem minus probabilem agere relicta probabiliori, puta, dum a Judice ferenda est sententia, a Medico infirmus curandus, a Rege bellum indicendum, ab Episcopo Beneficium Curatum concedendum &c.

Siquidem peto, quare hujusmodi exceptiones, nisi quia in parte minus probabili imminet periculum lædendi justitiam, ac legem transgrediendi, adeoque contra conscientiam agendi, quod periculum utique non apparet, nec moraliter esse potest in parte probabiliori stante pro lege? Cum ergo hoc idem periculum universaliter adsit in sequela cujuscumque sententiæ minus probabilis libertati faventis, in conflictu probabilioris stantis pro lege, ut superius satis superque probavi, ideo universaliter extendenda est obligatio ad sententiam probabiliorem in conflictu sectandam, quotiescumque ad legis tutelam, & Conscientiæ securitatem necessarium judicatur.

Dices cum eodem Anonymo *ib. nn.* 22: 40. *& seqq.* ideo in prædictis casibus de Judice &c aliisque consimilibus, opinio probabilior eligenda est, quia extat lex certa naturalis, vel positiva justitiæ, vel charitatis respectivè, obligans ad partem probabiliorem, & vetans aliter operari, ut consideranti patet. Cæterum ubi-nam extat lex certa eligendi semper, & in omnibus sententiam probabiliorem? Quando-nam sufficienter promulgata

gata, (ſicut aliàs requiritur, ut ad ſui obſervantiam obligare valeat, juxtà D. Th. 1. 2. *q.* 90. *a.* 4.) cum a tot ſæculis inter DD. controvertatur an extet hujusmodi lex? alii negant, alii verò affirmant. Quouſque igitur lex eſt ſub lite, non eſt lex, ſed opinio: Si eſt opinio, ergo unuſquiſque, quam maluerit, ſequatur; nam quantumcunque probabilis ſit, non eſt lex.

Reſpondetur, a Deo ſupremo legis-latore ſufficientiſſimè promulgatam hominibus legem naturalem, medio rationis lumine naturali dictante quid agendum, quid-ve reſpuendum: Legem verò poſitivam, ſive divinam, ſive humanam per ipſam rationem, naturaliter illuſtratam, optimè explicare, ubi aliqua difficultas circa ipſius intelligentiam oriatur. Cum ergo naturalis ratio dictet, & etiam a lege poſitiva, tum Divina, cum humana, in ſacris paginis & Canonibus firmari eadem ratio optimè cognoſcat, in agendis, quæ dubietatem, aut formidinem de legis transgreſſione important, ſemper eam partem eligendam eſſe, in qua nullum extat periculum faciendi contra legem, ſeu præceptum Dei, evidenter ſequitur, ſufficienter promulgatam eſſe legem de eligenda ſemper, & in quolibet individuali caſu ſententia probabiliori ſtante pro præcepto, ac de reiicienda in ejus conflictu minus probabili, favente libertati.

Inſuper, quod detur lex ſufficienter promulgata de ſequela opinionis probabilioris in conflictu, juxta ſenſum præſentis controverſiæ, ſic ad hominem oſtendo contra Adverſarios. Nam omnes ac ſinguli Probabiliſtæ docent, quod ſi contingat, opinionem minus probabilem in re eſſe falſam & contra legem, jam operans juxtà illam,

lam, ipsique innixus, solum materialiter dicitur legem transgredi, quia, scilicet, esto legem re-ipsa obligantem transgrediatur, ejus tamen transgressio ad culpam formalem ipsi non imputatur, cum excusetur [inquiunt] ex ignorantia probabili: Ergo supponunt, quod detur hujusmodi lex, & quidem obligans, adeoque sufficienter promulgata: Ignorantia enim invincibilis, [secundum nos, & secundum veritatem,] vel probabilis [juxta Probabilistas] occultat quidem legis obligationem, sed eam non tollit; ac proinde qui ex ignorantia excusante agit in legem, verè contra legis obligationem adhuc extantem, seu contra ipsam legem obligantem, & consequenter satis promulgatam operatur.

Præterea. Ex quo capite probari potest, præfatam legem non esse sufficienter promulgatam? Forsan-ne quia Deus hoc facere nequivit? hoc dici non potest, quia Deus est Omnipotens. Forsan-ne quia noluit suam legem satis promulgare? Et hoc est est absurdum, quia aliàs frustanea esset Divinæ legis institutio. Cum enim finis legis sit, homines obligare ad aliquid faciendum, vel omittendum, nec obligatio ad legem dari queat absque sufficienti ipsius promulgatione, frustra lex a Deo conderetur, si nollet eam sufficienter promulgare. Igitur falsum est, prædictam legem non esse satis ad obligandum promulgatam.

Quod si dicas, ex hoc deduci eam legem non esse sufficienter promulgatam, quod multi Authores probabiliter opinantur, non extare talem legem, obligantem ut supra.

Contra est. Tum quia nulla hominum opinio nequit Deo impingere praadducta absurda, quæ ut probavi

bavi, ſequerentur ex Adverſariorum Doctrina & præſenti inſtantia. Tum etiam quia quiſ-nam hoc ſpeciali privilegio donavit E.G. decem Probabiliſtas,quod eorum opinio favens commodo, & ſenſui, valeat homines a Divinæ legis obſervatione deobligare, & quod viginti, aut triginta Probabiliſtarum opinio, ſtans pro lege, nequeat ad ejuſdem legis adſtringere obſervantiam? Ita-ne immutabilis Deus ſuam deſpicit legem, ejuſdemque legis defenſores, ut quamvis numero ac meritò ſint potiores, & fortioribus roborati rationum viribus, nihilominus victoriæ palmam paucioribus, ac debilioribus adverſariis cedere cogantur? Quomodo-nam quis ex probabiliori aſſerto plurium ac inſignium DD., & ex validioribus motivis agnoſcens, potius ſe a Deo obligari ad non ineundum E. G. aliquem Contractum, utpote probabilius militantem contra ſuam legem, eximi poterit a talis legis obſervantia, itaut valeat eum contractum licitè ac tutò inire, ex paucorum Scriptorum minoris notæ, ac minus probabili aſſerto, quod judicat potius falſum,quam verum, potius contra,quam pro lege? Cum ergo hoc ſit imperceptibile ac impoſſibile, utpote contra naturale rationis lumen, & hoc imperceptibile, ac impoſſibile ſequeretur poſitâ Probabiliſtarum ſententia, & præſenti doctrina, vel potius evaſione, inferendum eſt, ex probabili opinione dicentium, non extare legem ſufficienter promulgatam, obligantem ad ſequelam opinionis probabilioris faventis præcepto, probari non poſſe, quod re-vera non extet hujuſmodi Lex, & ſatis ad obligandum promulgata

Quod ſi, non obſtante cognitione de exiſtentia,& promulgatione talis legis, adhuc quis eligat, & ſponte ve-

velit operari secundum opinionem minus probabilem, haud dubio a peccato formali non excusabitur, propter periculum ipsi manifestum contra legem agendi.

Dixi *a peccato formali* non excusari sic operantem ad iterum enervandam intercalarem Adversariorum distinctionem de peccato formali, & materiali. Tunc enim quis dicitur peccare solum materialiter contra legem, quando ignorantia invincibili, & excusante, legem transgreditur, videlicèt, quando remota quacumque passione, & mente sincera, inquirendæ veritatis studio, adhibuit omnem diligentiam, quam circumstantiæ temporis, loci, personæ, & hujusmodi exigebant, & humana fragilitas permittebat. Tunc enim, quia fecit totum, quod in se erat, ad agnoscendum an sibi aliqua operatio licita foret nec-ne, & ductus rationibus, ac auctoritatibus Doctorum, bona fide sibi eam licitam esse judicavit, & suam conscientiam efformavit absque ulla morali formidine de honestate actus, si forte errare ipsum contingat, & contra legem agere, Legis transgressio ipsi non imputatur, adeoque non peccat formaliter, (quia *nemo peccat in eo, quod vitare non potest*, ut cum Aug. omnes affirmant ut quid naturali lumine notum,] sed materialiter tantum: Peccata autem materialia non officiunt bonitati actus, cum etiam viris justis, ac Sanctis sint communia. Hinc

V. Cessant tot angustiæ, ac desperationes, quas fingit Author [*n.* 19. *& seqq.*] in eo, qui ad licitè operandum scire cupiat, quæ-nam ex opinionibus sit tuta, vel probabilior, ut eam eligere, & secundum eam operari valeat. Siquidem facillimè potest unusquisque in rebus ad salutem spectantibus eam diligentiam adhibere, ut legem

O servet,

servet, quam in temporalibus negotiis, humano modo tractandis, non negligeret. Unde sicuti ad eligendam opinionem verè probabilem, absque concursu alterius oppositæ, debet unusquisque inquirere, antequam operetur, an probabilibus innitatur fundamentis, ut omnes conveniunt, sin autem, debet ab operatione desistere, [si hoc tutius sit,) & interim majorem diligentiam adhibere, ne se periculo errandi committat: Cur eadem inquisitio facienda non erit, quando duæ occurrunt opiniones oppositæ circa honestatem operationis, ut appareat quæ-nam ex iis tuta sit, & verè probabilis in tali conflictu, & an probabilior nec-ne, ut contra Divinam legem agendi periculum evitetur?

Pro personis rudioribus sat est ad licitè ac tutò operandum, in his, quæ ipsis ignota sunt, ut Parochum, vel Confessarium, aut quemvis alium virum doctum, & pium consulant: Et tunc juxtà illius consilium possunt prudenter conscientiam suam efformare. Quia ex hoc quod ille est vir pius, præsumitur ita verax in dicendo, ut nolit fallere; Et ex hoc quod est vir doctus, præsumitur ita verax in cognoscendo, ut non-nisi difficile possit falli. Vuigandt. *tract. 2. exam. 3. n. 2.*

Verum in casu nostro hæc omnia supersunt. Etenim præsens controversia supponit, in operaturo hic & nunc adesse notitiam veritatis, vel saltem majoris verisimilitudinis de liciticate suæ operationis in sequela opinionis probabilioris stantis pro lege, ac a periculo eamdem legem transgrediendi prorsus immunis: Ad quid ergo anxiari, ac desperare, si veritas ipsi sponte obvia venit? Ipsam suscipiat, & ad praxim deducat, & nihil aliud exigitur ad licitè ac virtuosè operandum. Hoc pacto, & non ali-

aliter, salutis pericula, & conscientiæ remorsus evitantur.

Si quis autem vel nullam adhibeat diligentiam, ut sciat quid agendum hic & nunc, ne lex violetur, vel (quod præcipuum est) existente cognitione, eo quia in conflictu extat altera opinio, cognita ut probabilior, ac eidem legi favorabilior, adhuc velit juxtà minus probabilem operari, num præsumi potest in ipso invincibilis ignorantia? Num fecit totum quod in se erat, ne legem violaret? Num excusabitur a legis transgressione, si contra eam de facto agere contingat, qui contra legem potius, quam pro lege se acturum prævidebat? Peccabit-ne solum matertaliter, seu quin ipsi Legis transgressio imputetur, an potius formaliter & absque ulla excusatione? Paradoxum monstruosum in Ecclesia Dei è Probabilistica opinione dimanatum est hoc: Cognoscere, aliquam actionem honestam non esse, ac illam velle ut honestam elicere. Optimam sanè regulam justificandi peccatores: Velle quod peccatum eorum peccatum non sit.

Sileo de illis tot sæculis ab Auctore adductis, in quibus asserit sub lite Doctorum fuisse præsentem difficultatem. Siquidem ex dictis §.II. constat, etiam ex ipsis-met Probabilistis, per ferè sedexcim Ecclesiæ sæcula nunquam in lucem prodiisse Modernorum Probabilismum. Immo Author ipse sibi contrarius, ut ibidem vidimus *num.* 2. hoc idem fatetur.

Quod autem asserit de Tamburino, videlicèt, eum non apposuisse in præallegata & damnata propositione illum terminum *generatim*: In primis quid ad rem? Ecclesia in proscribendis singularibus propositionibus abstinet ab ullo exprimendo Authore, ex quo decerptæ sint: Unde nec Anonymus, Tamburinum prodere de-

buerat; cum non pauci possent ignorare, in quo ex Probabilistis ea propositio reperiretur. An ergo Apostolica sedes in ea condemnanda ad Tamburinum tanquam ipsius Authorem respexerit, nec-ne, mea non interest affirmare. Verum quidem est, quod licet in Tamburino non legatur materialiter, ac entitativè illa dictio *Generatim*, invenitur tamen æquivalenter, ut constat *l. 1. in Dec. c.* 3. §. 3. *n.* 3. ubi sic ait: *Qui aliquid operatur motus ex opinione probabili, bene operatur, & sine peccato, quia in humanis, ut cum prudentia, quæ est certa regula humanarum actionum, operemur, NON-NISI probabilitas necessariò requiritur. Id quod ita certum est, & ita a Doctoribus comprobatum, ut nostra discussione non indigeat, ETIAM OPINIONE PROBABILIORI RELICTA, ETIAM OMISSA TUTIORE, ETIAM COMMUNI, ETIAM IN ARTICULO MORTIS; quia dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui MODO A PROBABILITATIS FINIBUS NON EXEATUR*, [Vide an implicitè importetur, ly generatim,] *confisi aliquid agimus, SEMPER prudenter agimus*. Hæc dicta sint, ne videatur Ecclesia propositiones fingere, aut aliquem iniustè gravare, sed illud verbum *generatim* ab ipsa appositum fuisse, seu potius expressum in proscripta Thesi, tanquam compendium omnium præcedentium, quæ idem Tamburinus scripserat ita clarè.

VI. Respondetur secundò ad principale argumentum, quod etsi prudenter ac tutò agat, probabiliter agens in sensu diviso, & non concurrente sententia opposita probabiliori, non tamen si hæc de facto concurrat in sensu composito, ut contingit in præsenti controversia. Tunc enim eligens partem minus probabilem, proba-
bi-

biliori relictâ, valde imprudenter agit, contra illud celeberrimum effatum, sumptum ex Aug. & relatum cap. *Si quis autem*, de Pœnit. q. 3. dist. 7. *Tene certum, dimitte incertum*; Et quia cognoscit ex urgentioribus motivis partis probabilioris, minus probabilem, quam ipse eligit, potius esse falsam, quam veram; actionem suam probabilius esse illicitam, inhonestam, & contra legem, quam licitam, honestam, & pro lege.

Addo ex D. Thoma, (quem adducit Gonet *Man. to. 3. tract. 3. c. 16.*) quod *Ad prudentiam pertinet præferre majus bonum minori bono*: *Ergo desistere a meliori pertinet ad imprudentiam*: Ergo a fortiori ad imprudentiam spectat id eligere, quod in concursu alterius probabilius apparet malum quam bonum: Ergo falsum est, quod in sensu composito, modo explicato, prudenter agat, qui probabiliter operatur.

Et certè imprudens valde existimabitur Viator, qui pecuniis onustus, a tutissimo itinere recedens, velit Sylvam ingredi, in qua probabilius credit adhuc morari latrones. Imprudens qui flumen traiicere paratus, pontem sanum, ac solidum declinans, infirmæ naviculæ se committeret, quam brevi naufragium inter gurgites passuram probabiliùs opinaretur. Imprudens ille mercator, qui contractum iniret iis conditionibus, quas sibi damnosas probabilius, quam utiles, existimaret. In his, aliisque similibus humanis actionibus, & negotiis maximæ imprudentiæ, ne dixerim stultitiæ, argueretur, incerta, & dubia eligens, tutis, ac certis omissis. Cur ergo ubi de offensa Dei, de Animæ salute, ac æternitate agitur, non erit imprudentiæ argumentum, magis probabilia, & tuta, minus probabilibus, ac incertis postpo-

ponere? *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* (Matt. 16. 26.) Igitur *filii hujus Saculi prudentiores filiis lucis in generatione sua erunt?* [Luc. 16. 8.)

Neque dicas, opinionem minus probabilem prudenti fundamento inniti, videlicèt, optimæ rationi, & Authoritatibus Doctorum, quæ virum prudentem movere possunt ad ipsius assensum.

Siquidem jam diximus, hoc ad summum probare, illum prudenter agere, qui bonâ fide opinionem probabilem sequitur, quando præsupposita sufficienti diligentia de veritate inquirenda, nulla major certitudo, seu verisimilitudo ipsi apparet, nec aliquam de opposito dubietatem habet. Tunc enim habet moralem certitudinem de bonitate actionis, sufficientem ad prudenter operandum; ad quod utique non est semper necessaria evidentia, seu certitudo mathematica, quam humana imbecillitas non semel assequi non potest: Et alias *Non exigit Deus ab homine plus, quam conditio hominis habet, quia Divina Sapientia disponit omnia suaviter*, ut inquit Cajet. *in Summula V. opinio*. Cæterum quando opinio minus probabilis est in conflictu probabilioris, cognitæ ut talis, incerta, & dubia efficitur, immo probabilius falsa, quam vera: Unde non potest movere virum prudentem ad sui assensum. Opinio verò probabilior vim habet ad intellectum trahendum in sui sequelam; quia etsi mathematicè, aut metaphisicè certa non sit, (per quod evanescit aliud Adversariorum argumentum,) est tamen moraliter omnino certa, adeoque ita sufficiens ad operationem prudenter dirigendam, ut intellectus nequeat aliter opinari.

Hujus prudentiæ illustre præbuit exemplum Henricus

tus IV. Gallorum Rex, quando hæresi Calviniana ejurata, reversus fuit ad Catholicam Fidem. Cum enim ab hæreticæ pravitatis Ministris audisset, eos qui Fidem Catholicam profiterentur, in viam salutis incedere, modo justè, ac rectè viverent: E contra verò Catholicis Doctoribus affirmantibus, Calvini sectatores in æternum damnari, præferendam eam Religionem prudenter dixit, in qua, e communi Sententia tum Catholicorum, tum Calvinianorum, certa salus promittebatur, illamque sectam relinquendam, quæ a solis hæreticis tuta dicebatur. Fuit omnium plausu ita celebre, ac prudentissimum hujus gloriosissimi Principis visum consilium, ut hæretici penitus confusi, exinde negare cæperint quod prius affirmabant, nempe, Catholicæ Religionis professores tutò in æternam tendere salutem.

Cum igitur opinio probabilior, quæ favet legi, omnium Doctorum consensu, sit tuta, & a periculo immunis, minus verò probabilis a solis Probabilistis tuta decantetur, ab aliis valde periculosa, & probabilius falsa, quam vera, legi contraria, quam consona judicetur, non-ne imprudenter operabitur, qui, relictâ probabiliore, minus probabilem ita incertam eligere voluerit? Erunt-ne prudentes Probabilistæ hoc docentes? Audiatur quæso Cabassutius apud præcitatum Gonettum *Viros*, inquit, *pietate, & prudentia eximios difficilè reperiri in illa Scriptorum caterva, quæ ante annos circiter triginta, ut densissima nubes locustarum sese quaquaversum effudit, criminosarumque opinionum portenta disseminavit, quibus eorum Authorum quilibet, magnam, & in tuto positam Probabilitatem, vel suo unius suffragio, authoritateque se conciliare præsumebat: Immò & jactabat sibi genus huma-*

manum vinculo amplissima beneficentia adstrictum ob sublata peccata mundi; quia quæ olim habebantur pro criminibus, suæ auctoritatis pondere reddidisset licita, & honesta, viamque illam arctam, & arduam, quæ ducit in Cœlum, in amplissimam aream, & planitiem convertisset, qua tutò, & indiscriminatim universi, absque ulla difficultate, in Cœlum devenirent, solis exceptis, qui tantum beneficium non agnoscerent, divinasque istas Probabilitates non exoscularentur, quorum dumtaxat est desperata salus, & certissima damnatio.

Prudentes-ne dixeris omnes illos Casuistas, Probabilitatis Doctores, quorum plurimæ ab Apostolica sede confixæ fuerunt opiniones? Et tamen omnes illæ ortum habebant a decantato Probabilistarum principio; *Qui probabiliter operatur, prudenter operatur*. Unam tantum præ aliis recole inter Innocentianas trigesimam hujus tenoris: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit.* Hæc propositio tot habuit propugnatores, ut Diana sua ætate ipsam vocaverit communem. Ita ex eodem Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 9. refert toties a nobis hic allegatus Anonymus *num.* 30. Et quis unquam è minuscula plebe ausus fuisset insignes illos machinæ probabilisticæ Vertices, tanquam imprudentes vocitare? Absit: adeo quippe invaluerat opinandi licentia. Verum quid de ipsis, eorumque pedissequis sentiant gravissimi Veritatis Doctores, ac Defensores, nuper audisti ex Cabassutio: Insuper disce ex Encyclica Archiepiscopi Rhotomagensis Epistola anno 1697. ad suos subditos transmissa. *Placuit numeroso recentium Casuistarum gregi* (inquit Illustrissimus Præsul) *verendam Scripturæ sacræ, &*

San-

Sanctorum Patrum auctoritatem deserere, suas, ut ipsorum privatas adinventiones, vel fabricata recens novorum Doctorum Commenta sequerentur. Evanuerunt *illi* in suis cogitationibus, (ex Rom. 1. 21.] *eòque cæcitatis devenere, ut ausi sint tueri palam opiniones, non Religioni solum, sed ipsi etiam naturæ contrarias; Nec puduit Christianos homines, perniciosis hisce opinionibus, tanquam maximè tutis, ope Probabilitatis, pondus, & auctoritatem addere, quas, cum horrore Ethnicorum hominum sapientia respuisset &c.* Apud Genettum *to. 1. tract. 1. c. 6. q. 3.*

Dices, non esse promiscuè judicandum de opinionibus ab Ecclesia proscriptis, ac de aliis nullâ censurâ notatis, ac præsertim de puncto præsentis difficultatis, quam Authores Classici inoffenso calamo tuentur.

Ad hoc respondeo, tam multas opiniones non ideo esse falsas, quia sunt ab Ecclesia condemnatæ, sed ideò sunt damnatæ, quia erant & sunt falsæ, & contra rectam rationem, ac regulas prudentiæ: Et nihilominus ab iis, qui tanquam viri prudentes, ac docti habebantur, & Authores graves passim dicebantur, erant propugnatæ. Ergo-ne qui tales tunc sequebatur opiniones, quarum major pars juri Divino, ac naturali contraria erat, prudenter agebant, & a Legis observantia, cæteros obligante, dispensabantur, ut impunè possent usuras, furta, simonias, lascivias, & alia hujusmodi facinora inculpabiliter perpetrare, per hoc precisè, quod opinionibus Probabilistarum inhærebant? Si hoc esset, inferri deberet, e Summorum Pontificum condemnativis Decretis factum fuisse, ut ea nobis essent gravissima, contra divinam, & humanam legem delicta, quæ prius nec minima peccata Probabilistarum Sectatoribus erant:

Quod sane audire piæ aures perhorrescunt.

Ex quo deduco primò plures Recentiorum opiniones, quæ ab aliquibus tanquam probabiles, & prudentiæ conformes venditantur, non evinci non esse improbabiles, falsas, & contra dictamen prudentiæ, quia non sunt, ut aliæ, a Christi Vicariis in exilium expulsæ: Præsertim cum ab eodem infecto, ac, ut supra vidimus, ferè damnato probabilistico illo principio dimanent, *Qui probabiliter agit, prudenter agit*. Hujusmodi est Sententia affirmativa de sequela opinionis minus probabilis in probabilioris concursu; Quæ, tametsi cum omnibus suis consectariis adhuc per Sanctæ Sedis Oraculum expresse anathematizata non sit, nihilominus jam propè in tot reprobatis propositionibus minis deterretur; immo contra eam nec longè esse damnationis ictum sperandum est. Plura interim dissimulant Pontifices propter alia gravissima Ecclesiæ negotia, quibus ipsi, & sacræ Congregationes distrahuntur: Non tamen omnia hoc silentio approbant, ut expresse fatetur Inn. XI. in præloquio sui Decreti contra 65. ab eo confixas opiniones, ubi sic habet: *Non intendens tamen Sanctitas sua per hoc decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas approbare*. Quocirca ex tot moralis Theologiæ Voluminibus in dies a Probabilistis Superiorum permissu divulgatis, (at viris simplicibus valde perniciosis,] nullum in suarum opinionum approbationem possunt robur emendicare. Hinc Alex. VII. Pont. Max. inter 45. Propositiones hanc vigesimam septimam proscripsit: *Si liber sit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem*

pro-

probabilem.

Deduco secundò, Probabilistarum Doctrinam, & Assertiones nullum veritatis robur ex hoc acquirere, quod ipsorum Volumina sint a Revisoribus approbata. Officium siquidem Revisoris, aut Censoris librorum non est approbare in ordine ad praxim, & ut veram, doctrinam in eis contentam; Aliòquin Thomista nunquam posset approbare editionem libri alicujus Scotistæ, in quo essent propositiones contra D. Th., cum nullum, ne minimum probabilitatis, nedum veritatis gradum eisdem sua approbatione adiicere vellet: Sed eorum auctoritas ad hoc solum extenditur, ut observent, ac judicent, an juxta Inquisitorum Mandatum, aliquid contra fidem, & morum honestatem in ipsis contineatur; & eapropter voluminum approbatio exprimi solet per propositiones negativas, ut, scilicet, intelligatur, ex approbatione librorum nullam eorum opinionibus addi probabilitatem, aut improbabilitatem, seu veritatem, aut falsitatem. Quod si aliquando propter insufficientiam, aut incuriam Revisorum Codices reprobandi in lucem eduntur, quid inde? Non omnia possunt a Superioribus inconvenientia impediri.

VII. Qui-nam vero sint Doctores classici, & graves, quorum sententia valeat viros prudentes movere omnibus ponderatis circumstantiis, non obscurè assignat supradictus Recentior *num.* 28. Nimirum, esse Authores omni exceptione majores, & saltem a quatuor hujusmodi exceptionibus immunes. Prima earum est, quod ipsorum Doctrina, etsi apparenter sit valde vero-similis, falsa tamen evincitur ab aliquo sibi opposito Canone, aut Constitutione. Secunda Sophismatibus uti, non ve-

rò scientificis argumentationibus. Tertia, nova potius, quam rationabilia edocere. Quarta denique, aliorum adducere, ac sine ponderatione recitare opiniones, quod proprium est Collectorum, non Authorum. Hujusmodi exceptiones desumpsit Anonymus è Cardenas, *Cris. Theol. par. 3. to. 1. disp. 57. c. 1. a. 1. & alibi.*

Optimè satis. Sed hæc sunt arma, quæ contra se, suosque Clientulos Probabilistas fabricavit Anonymus. Quippe ipsorum apud Rudes plausibilis opinio a Sacris Canonibus [quos frustra conantur eludere) mendax efficitur. Unum præ aliis superius explicuimus, juxta Pontificum, Patrum, & Doctorum sensum. Deinde Probabilismi Doctrina in fallacia compositionis, non in aliqua scientifica, & concludente argumentatione fundatur, ut etiam vidimus. Insuper novum esse de probabilitate Commentum, Veteribus reconditum, ipsimet libentissimè gloriantur ex Modernis nonnulli Casuistæ. Tandem eos, velut Oves, & Aves, *quo itur*, *non quo eundum sit* [Senecæ verbis utor] attendentes, aliorum sequi vestigia, & opiniones cœca mente sectari, sapientibus notum esse non dubito; hoc unum tantummmodo satagentes, ut Resolutiones suas plurium ejusdem farinæ Scriptorum citationes subsequi studeant, vel præire. Non igitur Author gravis ullus ex his censendus est, sed pedissequus, sed Compilator.

Ex quibus faciliter innotescere potest, an omnes illi, quos e sua Societate, tanquam Authores Classicos & graves coacervat Cardenas, *ubi ante cap. 3. a. 1. & seqq.* videlicèt, Th. Sanchez, Suarez, Vasquez, Valentia, Molina, Lessius, & Azorius, verè sint hujusmodi, & quorum quilibet [ut ipse docet) probabilitatem opinionibus confer-

ferre valeat. Abstineo a proferenda sententia super hoc animosum assertum, ne quis putet, mihi in votis esse, Doctorum merita deprimere, [quod absit] non veritatem suadere. Dissimulare tamen nequeo excessum ejusdem Cardenæ, *ib. a. 6. n.* 140. de solo Lessio sic dicentis: *Fere nullam doctrinam moralem veriorem, & securiorem esse præ hujus Doctoris sententiis, inter Theologos, qui a trecentis annis scripserunt &c.* Quid tibi de hac autentica, Lector, videtur? Sileo.

Illum dicas Doctorem Classicum, cujus auctoritas in Ecclesia universaliter viget, cujus doctrinam amplecti non est errare, aut errandi periculo se committere, sed viam veritatis eligere. Talis est communis Doctor S. Thomas Aquinas, cujus sententiis, a summis Pontificibus probatis, a Christo Domino confirmatis, tutissimum est inhærere. Unde congruenter (etsi valde modeste] scripsit Mag. Gallego *de Consc. prob. n.* 21. his verbis: *Noster Angelicus Doctor multa scripsit, & docuit contra alios, qui ante ipsum scripserunt, et tamen ejus opiniones statim ac ab ipso traditæ sunt, existimatæ sunt probabiles, tum propter maximam ejus auctoritatem apud Theologos, tum quia non levibus, sed rationabilibus fundamentis ductus est ad sic opinandum.*

Classicum etiam Doctorem vocabis subtilem Scotum, menti D. Thomæ in hac materia conformem, ut supra ostendi §. 2. n. 4. Unde Scotistæ vocari nequeunt Minoritæ illi, qui tam claram Scoti Sententiam contra probabilismum non obsequuntur; Inter quos novissimè prodiit Fœlix Potestas Panormitanus nonnullorum Probabilistarum Sectator, qui eo inconsiderationis pervenit, ut (exam. Confessar. *to. 1. par.* 1. *c.* 1. *n.* 66.) indu-

bitanter assereret, quod *Sententia, qua concedit eligi posse opinionem minus probabilem, quando agitur de sola honestate actionis, est probabilior, & tutior: Probabilior, quia magis accedit Veritati, ut consideranti rationes patet, & ut tenent omnes ejus Sectatores: Tutior, quia minuit innumera pericula peccati formalis; minuit enim tot obligationes, quot sunt opiniones probabiliores in intellectu operantis: tutius autem est vitare periculum peccati formalis, quo Deus certo offenditur, quam alicujus peccati materialis, quo certo Deus non offenditur, cum a culpa mortali excuset ignorantia invincibilis.*

Bone Deus! Quot mala in tota Ecclesia ex nimia facilitate libros hisce diebus indiscriminatim imprimendi! Et quis-nam vel pueris ipsis suadere posset, eum contra legem formaliter non acturum, & formaliter non peccaturum, qui voluntariè, apertisque luminibus, contra legem materialiter agendi, seu materialiter peccandi periculo se exponit?

Iterum dico, non levia hujusmodi scriptores afferre detrimenta, ut probè in quadam epistola scripsit Eruditissimus, ac vitæ austeritate, & Virtutum studio celeberrimus, Reverendiss. D. Armandus Joannes le Bouthillier de Ransè, Abbas, ac Reformator Monasterii Trappensis strictioris Observantiæ de Cistello, prout habetur in ejus vita, ex Gallico Idiomate in Italicum traslata per Abbatem Burlamacchi *lib. 2. cap. 5. pag mihi 163.* his verbis.

In ciò che riguarda i Casisti, (loquitur de Probabilistis,) *non posso dire, che io li creda utili alla Chiesa; essendo così persuaso, come sono presentemente, che le hanno causato gravissimi danni, e che la maggior parte di loro con*

con sottigliezze metafisiche, con discorsi insussistenti, e con invenzioni puramente umane, hanno rese probabili (ideſt decantaverunt ut probabiles) *quantità di opinioni, contrarie alla purità de costumi e alle verità Evangeliche. Hanno insegnato agl' Uomini delle dissolutezze, che non conoscevano. Hanno trovato il modo di soffocare i latrati della Coscienza, ed hanno dato espedienti e mezzi di violare senza scrupolo, e senza colpa le leggi più sante della natura, e della Religione.*

Io ho risguardato la maggior parte di questi nuovi Scrittori, come Uomini che s' ingerivano in ciò senz' altro carattere, ò senz' altra vocazione, che quella si erano fatta da loro medesimi; che scostandosi dalle strade, e dalle sante Regole, che i PP. e i DD. della Chiesa aveano seguitate, faticavano a fortificare le inclinazioni della natura, e a favorire altrettanto i vizj, quanto quelli avevano mostrato maggior premura a combatterli, e a distruggerli.

Non nego che non ve ne possano essere alcuni di sentimenti più puri e Cristiani; ma dico in generale, che se fossi di professione di dar consiglio, non v' e cosa, che io sconsigliassi di vantaggio, quanto la lettura di questa sorta d' Autori, e la confidenza in coloro, che ne sanno, e ne imparano le massime.

Ne parlo per esperienza; poichè l'impiego, in cui mi trovo, avendomi impegnato a trattare con sì gran numero di persone di ogni condizione, che si sono presentate in questo Monastero per abbracciare lo stato Religioso, ed essendo stato obligato di penetrare il fondo delle Coscienze loro, e di scoprire tutte le particolarità della lor vita passata, vi ho scoperto dalla parte dei Direttori, e dei Confessori tali ignoranze, inganni, e seduzioni, che mi hanno recato altrettanto orro-

orrore, *che compassione &c.* Hæc ibi.

Quam verè scribit hic religiosissimus Vir! Quæ sibi evenisse narrat de tot Confessariorum ignorantiis, seductionibus &c. & mihi sæpissimè acciderunt non sine cordis mei amaritudine, cum in excipiendis Sacramentalibus Confessionibus plurimos invenissem ad inferos festinè gradientes, propter ignaviam, ac deceptiones Confessariorum, suarum proditorum animarum. Videat ergo prudens lector, an præfati Casuistæ, e magni ponderis voluminibus Authores graves merito vocari possint, nec-ne.

VIII. Obiicies secundò. Jugum Domini est *suave*, & onus ejus *leve*, ut habetur ex Matt. 11. *V. ult.* & similiter, *mandata ejus gravia non sunt*, ut dicitur 1. *Jo.* 5. *V.* 3. Sed hoc non esset, si semper teneremur sequi opinionem cognitam ut probabiliorem, quia tunc Jugum Divinæ Legis efficeretur grave, Deique præcepta valde difficilia: Ergo &c.

Confirmatur ex *l. benignius ff. de legibus*, ubi dicitur quod Opinio benignior,& suavior præferri debet. Et Juris-peritus a D. Th. cit. in 1. 2. *q.* 96. *a.* 6. ait: *Nulla ratio juris, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro salute hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipsorum commodum perducamus ad Severitatem*. Digest. Vet. *l.* 1. *tit* 3. *lege* 24.

Respondetur ad argumentum primò, jugum Christi esse suave comparativè ad jugum Moysis, de quo dicitur Act. 15. V. 10. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?* idest, *vix potuimus*, ut explicat Eminentiss. Ugo de S. Claro.

Respondetur secundo, jugum Domini esse suave, &

& onus ejus leve, non ex libera voluntate eligendi Probabilistarum placita, eorumque laxas opiniones, Legem Domini perfringentes, sed virtute gratiæ, & charitatis Legem emollientis, ac alleviantis, ut docet D. Th. 1. 2. *q.* 98. *a.* 1. *ad* 3. Dicitur enim Philip. 4. V. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat*. & Rom. 9. V. 16. *Non volentis*, *neque currentis*, scilicet, velle, & currere in præceptis Dei, (ut ibidem explicat Angelicus Doctor,] *sed miserentis est Dei*. Et ps. 118. V. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri*, *cum dilatasti cor meum*, idest per gratiam Spiritus Sancti, quâ diffunditur in cordibus nostris charitas, quæ Legem adimplet. Unde Aug. ait: *Non esse grave*, *quod diligendo fit*: *Perfecta charitas facit præcepti sarcinam*, *non solum non opprimentem onore ponderum*, *verum etiam sublevantem vice pennarum* lib. de perfect. Justitiæ *cap.* 10. Cæterum jugum legis Domini, sensui, ac naturæ per peccatum corruptæ, semper est grave, (tametsi naturæ sanæ, aut per gratiam sanatæ, eadem lex gravis non sit, quocirca denominatur naturalis, idest naturæ conformis, & secundum ejus inclinationem;) Et ideo respectu illius dicitur, quod *Regnum Cælorum vim patitur*, Matt. 11. V. 12. Quod *angusta porta*, *& arcta via est*, *quæ ducit ad vitam*, ibid. *Cap.* 7. *V.* 14. Et tamen nobis a Christo Domino iniungitur: *Intrate per angustam portam*, *quia lata porta*, *& spatiosa via est*, *quæ ducit ad perditionem*. Ib. *V.* 13. Immo *contendite intrare &c.* Luc. 13. *V.* 24. Igitur non obstante nostræ sensualitatis repugnantiâ in evitandis periculis Divinam legem transgrediendi, Regium Prophetam imitari debemus, ac dicere: *Propter verba labiorum tuorum* (Domine] *ego custodivi vias duras*. Ps. 16. *V.* 4.

Q Hinc

Hinc est, novam illam viam, quam Probabilistæ ita facilem, & dilatatam invenerunt, non esse viam Cœli, quam Christus Dominus arctam prædicavit, sed viam, *quæ ducit ad perditionem*, & de qua verificatur illud Proverb: *6.* V. 25. *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem*. Vel juxta 70. Interpretes: *Sunt viæ, quæ videntur esse rectæ homini, attamen novissima earum spectant in fundum Inferni*. Ubi Spiritus Sanctus innuit eas, vel eam viam, quæ de facto, & a parte rei est mala, sed tamen homini apparet recta, non quidem certò moraliter, [aliòquin, ut bene advertit Mercorus *ubi sup. a.* 1. conscientia erronea ex ignorantia invincibili non excusaret, quia duceret ad mortem,) sed solum probabiliter bona, & nihilominus non ad vitam, aut Cœlum ducit, sed ad mortem, & Infernum: Quomodo ergo poterit hæc probabilitatis via, sic solum apparenter bona, liberè, & simul tutò eligi, concurrente, ac relictâ viâ tutâ majoris probabilitatis, quæ certò ducit ad vitam?

IX. Ad confirmationem respondetur primò, opinionem benigniorem esse præferendam, quando est tuta, & conformis rectæ rationi; qualis non est opinio minus probabilis libertati consentanea, in concursu probabilioris stantis pro præcepto. Gonet, *Manual. to.* 3. *tract.* 3. *c.* 18. *q.* 3.

Respondetur secundo, eam legem explicari in *l. semper ff. Novitas de reg. Juris*; videlicèt, habere locum in dubiis facti seu delicti, & in Rei punitione. Tunc enim potius favendum est Reo, quàm Actori; quia tutius est reum absolvere, tametsi fortè delinquentem, quam ipsum forte innocentem condemnare. Vuigandt *tract.*

tract. 2. *exam.* 3. *n.* 23.

Respondetur tertiò, Opinionem benignam eam dici, quæ favet Religioni, Juramento, Causis piis, Testamento, Sacramento, Matrimonio, Viduis, Orphanis, Peregrinis, Egenis, Pupillis, vel etiam homini privato contra Fiscum. Quapropter, inter duas opiniones, quarum una favet libertati Pœnitentis, E.G. circa aliquem Contractum, altera verò indemnitati pauperis, opinio, quæ huic est favorabilis, est benignior eâ, quæ stat pro avaritia seu libertate Pœnitentis. Sylvester *V. opinio* §. 2. ℣. *Quæritur*. Gonet, Mercorus, & Vuigandt, *locis nuperrimè citatis*, *& alii*.

Respondetur quartò ex eodem Mercoro, nonnullos falli arbitrantes, Opinionem benignam eam dici, quæ laxa est, & favens libertati, & opinionem rigidam, quæ stat pro præcepto: Quod falsissimum est; quia opinio benigna valde differt a laxa, & non raro, quæ favet præcepto est benigna, ejusque opposita favens libertati est laxa. Pro cujus intelligentia,

Sciendum est, quod opinio dicitur benigna, quæ favet humanæ fragilitati, eique jugum legis ita coaptat, ut ferri possit, non tamen quin jugum aliqualiter collum premat, ut homo Deo Legis-latori suo subiiciatur; seu ita humanitati annuit, ut etiam Legis observantiâ concupiscentiam quasi frœno coerceat, aliàs fructus, & finis Legis frustaretur. Opinio verò laxa ea est, quæ jugum legis non alleviat, sed infringit; concupiscentiam fovet, non domat; carnis, non spiritus promovet libertatem. Quod totum videtur innuere S. Thomas 2.2.*q.* 147. *a.* 3. *ad* 3. ubi docet, quod præcepta Legis *non sunt contra libertatem populi fidelis*, *sed magis sunt utilia ad im-*

pediendam servitutem peccati, quæ repugnat libertati spirituali, de qua dicitur ad Galatas 5. *V.* 13. *Vos enim in libertatem vocati estis, fratres; tantum ne libertatem in occasionem detis carnis*. Ex quo,

Infertur, sententiam illam, quæ docet, in concursu opinionum eligi posse minus probabilem faventem libertati, non esse benignam, sed laxam, cum legem, ejusque fructum evacuet, & sensus libertatem nimiùm foveat: Laxam quoque opinionem Marchant. apud Pasqualigum *Decis.* 300. *n.* 5. quâ docet, non esse peccatum mortale opera servilia diebus festivis exercere per tres horas. Licèt enim videatur benigna, & æquitatem redolere, nihilominus laxitatem enervativam præcepti de Festorum sanctificatione plurimum auget. Et insuper est indiscreta, quia promovet quorundam Dominorum avaritiam, ut famulos, & Ancillas suas festis diebus cogant ad serviliter laborandum. Idem univesaliter dico de tot opinionibus, quæ sæpe sæpius a Probabilistis tanquam benignæ circumferuntur, & benignæ non sunt, sed contra legem, sed contra virtutem, adeoque concupiscentiam, non salutem æternam patrocinantes; ut sunt omnes illæ, quas nonnulli, ut benignas prius venditabant, sed tanquam Christianæ disciplinæ omnino relaxativæ, fuerunt ab Apostolica Sede anathematizatæ. Præferenda quidem, immo non semel consulenda sententia verè benigna, idest tuta, & a Lege non devia: Abstinendum a nimis rigidis, quamvis comparativè tutioribus, quia hæ sunt de consilio, ac spontè, non coactè eligendæ.

Ad id, quod additur de Juris-consulto, dico, intelligendum esse ad intentum Sancti Thomæ in præalleg. art.

art. nimirùm, in lege humana (de qua loquitur auctoritas illa) servandam esse virtutem Epychejæ, quando, scilicet, in casibus particularibus, legis observantia secundùm ejus verba esset damnosa communi utilitati, vel saluti. Tunc enim lex verbaliter servanda non esset: Quia cum ad communem hominum salutem ordinetur, & secundùm quòd ut in pluribus est proficua, statuatur, si occurrant casus, (quos non potuit legislator prævidere, aut ad confusionem evitandam exprimere non debuit) in quibus propter subitaneum periculum, verbalis observatio legis esse nociva multitudini contra finem a legislatore præfixum, rationabilis & justa esset legis dispensatio: Aliòquin, ut optimè notat Porrectà *in comment. art. cit.* verificaretur ultima juris regula, *Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Bonif. VIII. *in 6. de reg. juris*. Videatur S. D. in præadducto articulo. At in præsenti difficultate res aliter se habet. Quia naturalis ratio, quæ in corde hominum legem dictat de eligendo quod tutum est, ac moraliter certum, relicto non tuto, & incerto, ut sic honeste, prudenter, & absque periculo legem trasgrediendi, unusquisque valeat operari, in quocunque particulari eventu etiam ostendi quid eligendum tanquam honestum, quid-vè respuendum ut inhonestum, & in periculo contra legem agendi; præsertim cum modò supponamus in operaturo hic, & nunc, adesse (vel saltem posse faciliter haberi) actualem notitiam de una opinione probabiliori ac tuta, & de alia ipsi opposità minus probabili, & non tutâ. Quocircà non *ad severitatem*, sed ad æquitatem, & honestatem legis hominem

nem perducimus, quando asserimus, in coflictu opinionum probabiliorem legi conformem semper eligendam esse, rejectâ minus probabili, sensus & libertatis amica.

Addo eam non esse benignam, & rationabilem legis interpretationem, quæ, ut *commodum*, idèst libertatem carnis foveat, est ipsius legis, ejusque finis, ac virtutis destructiva: impia est hujusmodi interpretatio, effræni concupiscentiæ, non rationi consentanea.

X. Obiicies tertiò. Licitum est cuique, ut omes fatentur, sequi opinionem, quę sibi probabilior apparet: sed Probabilistis apparet probabilior sententia, quæ asserit, esse licitum in concursu opinionum, minus probabilem sequi: Ergo illam possunt licitè sequi, etsi nos, qui oppositum judicamus, non possimus secundum illam operari.

Respondetur, quòd absque sufficienti motivo, & veritatis inquisitione, sed ex mero propriæ voluntatis placito, vel passionis impulsu videtur [si tamen videtur] Probabilistis probabilior sua opinio de sequela minus probabilis opinionis. Quomodo namque, debitâ factâ diligentiâ, omnique remoto impedimento ad inveniendam veritatem, potest illis probabilior hac nostra ætate ipsorum opinio apparere, cum videant Apostolicam Sedem eam potius reprobare in tot propositionibus proscriptis, quæ prius, ut probabiles passim a pluribus dicebantur, & ab eorundem Probabilistarum primario, & modò ferè damnato principio deducebantur, oppositamque, ac nostram sententiam validioribus rationibus, Pontificum, Conciliorum, Purpuratorum, ac pene unanimi Prælatorum sensu, majori, ac potiori Do-

cto-

ctorum numero, præcipuarum Universitatum Decretis, ac tot Sacrorum Ordinum Authoritatibus fulciri? Quod si convenienti omisso veritatis examine, ac studio,& absque sufficienti motivo,ad libitum, quis sibi probabiliorem fingat opinionem suam, & juxtà illam cœca mente operetur, a culpa non excusatur, ut ex superius resolutis dilucidè apparet.

Respondetur ulterius, ex Petrucci lucer. moral. *c.* 7. §. 4. *n.* 54. Dato & non concesso, quod Probabilistæ arbitrentur, probabiliorem esse suam opinionem de sequela sententiæ minus probabilis in conflictu probabilioris, hoc tamen se habet solum signatè, speculativè, ac remotè, nec eis sufficit ad licitè hic & nunc operandum juxta sententiam, quam cognoscunt minus probabilem. Etenim ad licitam practicè operationem requiritur, ut judicium practicum ipsius directivum proximè, ac immediatè talem operationem respiciat, cum debeat conscientiam efformare de hic & nunc agendo, vel non agendo. Si ergo quis cognoscat, operationem suam probabilius esse illicitam, & contra legem, ac rectam operationem, quia sic a sententia probabiliori convincitur, nullatenus poterit, per judicium ultimum, & immediatum, illam ut probabilius licitam, & rectæ rationi consonam existimare in vi opinionis minus probabilis, cui, a se cognitæ ut tali, vult assentiri, & secundum illam hic, & nunc operari. Igitur sic operans, verè agit juxta opinionem, quam practicè putat minus probabilem, in conflictu oppositæ, cognitæ ut probabilioris; adeoque non tutò, ac licitè operatur.

Obiicies quartò. Ideo per nos non est licitum in agendis amplecti opinionem minus probabilem in proba-

babilioris concursu, quia tunc intellectus operantis habet formidinem moralem de honestate suæ operationis, propter motiva probabilioris, quæ convincunt, eam operationem esse potius illicitam, quam licitam: Sed hæc ratio est nulla; Nam si in agendo deberet unusquisque absque ulla formidine operari, teneretur semper operari ex motivis scientificis, ac physicè, vel metaphysicè certis, adeoque ex habitu scientiæ, qui evidentiam importat, & omnem formidinem excludit, & nunquam posset operari ex motivis, & habitu opinativo, qui essentialiter importat aliquam formidinem, ut patet ex ejus definitione; & per consequens nemo posset in praxi opinionem etiam probabiliorem amplecti, cum etiam hæc, utpote essentialiter opinio & non scientia, nequeat omnem formidinem excludere: Cum ergo hoc non sit admittendum, dicendum est, quod, non obstante tali formidine, potest quis in praxi opinioni minus probabili adhærere, relictâ oppositâ probabiliori.

Respondeo, quod etsi quæcumque probabilitas, absolutè, & secundum se sumpta, & veluti speculativè, ac in actu primo, essentialiter importet quandam formidinem de altera parte contradictionis, potest nihilominus hic & nunc, seu practicè & in actu secundo, excludere omnem dubietatem, & formidinem moralem (quid quid sit de formidine logica, de qua supra §. 3. n. 4.) Quia motiva inducentia intellectum ad assentiendum opinioni probabili, ipsi apparent ita gravia, & efficacia, ut hic & nunc, & practice omnem ab eo tollant [experientiâ approbante) formidinem moralem, quæ scilicet, juxta regulas prudentiæ sit potens movere operaturum ad formidandum, seu dubitandum de licitate suæ ope-

operationis. Hanc autem exclusionem moralis formidinis non habet opinio minus probabilis favens libertati, concurrente opposita probabiliori stante pro lege, bene vero ista in conflictu illius, ut in antedictis pluries ostensum est. Et per hoc sufficienter distinguitur Probabile a Scientifico, quia istud excludit omnem formidinem etiam secundum se, ac veluti speculativè, cum principia, ex quibus derivatur, & a quibus regulatur scientia, semper sint metaphysicè, aut physicè infallibilia. Vide inf. §. 5. *n.* 21. *Vers. Insuper dico.*

Obiicies quintò. Ita comparantur opinio magis, & minus probabilis, sicuti aureus nummus Hispanicus, & Italicus, nempe, majoris, & minoris valoris; & etiam sicut vinum magis, & minus generosum. Sed esto nummus Italicus non tanti æstimetur ac Hispanicus, nihilominus etiam in concursu illius habet, ac retinet suum intrinsecum valorem, ac pretium; Et vinum minus generosum comparatum generosiori adhuc est vinum bonum, & gustabile, esto minus, adeoque popularibus utile, quamvis non dignum, ut in mensa Principum apponatur: Ergo pariter, tametsi opinio minus probabilis tantâ probabilitate non gaudeat, ac opinio probabilior, est tamen verè, & quandoque etiam valde probabilis, licet minus, si probabiliori æquiparetur: Ergo unusquisque tutò poterit eam in praxi amplecti, quamvis in probabilioris conflictu.

Respondeo negando paritates adductas, & alias consimiles, quæ afferri solent. Et disparitas est, quia nummus Hispanicus, & Italicus sunt intra eandem speciem nummi aurei, & solum differunt penes magis, & minus: Et idem dico de vino magis, & minus gene-

roſo, & aliis hujùſmodi. Non enim nummus Hiſpanicus opponitur nummo Italico, adeoque nec tollit, aut minuit ejus valorem, etiam ipſi comparatus: Et vinum bonum in concurſu melioris adhuc eſt vinum, & vinum bonum, eſto minus, ac alterum melioris conditionis. At opinio magis, & minus probabilis, ſubiectivè, ac reſpectu ejuſdem intellectus, opponuntur contradictoriè, & idem valent formaliter *magis, & minus probabile in conflictu*, ac *probabile, & improbabile*, ut ſupra vidimus §. 3. *n.* 2. Unde opinio probabilior, & minus probabilis in concurſu, non verſantur circa bonum, & melius, itaut operans, tametſi melius faceret probabiliorem eligendo, ſi tamen minus probabilem ſequatur in praxi, adhuc dicatur bene operari, quamvis minus, nunquam verò malè; ſed verſantur circa licitum, vel illicitum, bonum, vel malum, ſeu bonitatem, vel malitiam actus, quæ ſunt oppoſita, & incompoſſibilia. Recolantur a me dicta loco nuperrimè citato. Hinc

Opinio verè probabilis, ſecundum ſe, & abſolutè ſumpta, non eſt omnino reprobanda, cum poſſit eſſe recta regula morum ei, qui meliorem non habet, & probabiliorem invincibiliter ignorat, ut non ſemel oſtendi; Sicut vinum debile eſt utile non habenti melius: Eſt tamen penitus *indigna, ut in conſpectu Principis, intellectus videlicet, generoſiori ſolidioris rationis vino inebriati, compareat, niſi ut fæculentum vinum reprobetur. Quis-nam autem ita demens, ac bardus, ut fæculento velit inebriari, dum optimi, ac puriſſimi copiam habet?* lepidè ait Petrucci *Lucer. mor. c.* 7. §. 4. *append. n.* 38.

Obiicies ultimò. Si teneremur in agendis ſemper amplecti opinionem probabiliorem, ſequeretur quod able-

leganda esset omnino ab actibus humanis Probabilitas, & quod ad rectè, virtuosè, ac licitè operandum semper esset necessaria scientifica cognitio, ac certitudo physica, vel Metaphysica de certitudine operationis: Sed hoc est falsum, utpote fovens opinionem Vendrochii Theologi Salisburgensis, & rigidorum Jansenistarum, qui negabant, probabilitatem, tametsi a majori non oppugnatam, posse unquam esse rectam morum regulam,& ignorantiam invincibilem juris naturalis unquam excusare a peccato, & a formali ejusdem legis transgressione, contra id,quod expresse docet D. Th. *1. 2. q. 76. a. 3.* & aliis in locis, ac statuit Alex. VIII. anno 1690. die 7. Decembris in condemnatione illius propositionis inter 31. secundæ: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali:* Ergo sat est ad recte operandum probabilitas etiam minor in conflictu, nec semper tenemur majori probabilitati adhærere.

Respondeo negando sequelam, quam promit arguens, sed non probat. Pluries enim supra docui, quod quando quis in moralibus debitam adhibet diligentiam in inquirenda veritate, ut rectè possit operari, eique solum occurrit opinio probabilis, absque concursu alterius probabilioris faventis præcepto, tunc licitè, ac tutò operatur, ut cum D. Thoma *quodl. 8. a. 13. in sed C.* tenent omnes Theologi etiam Probabilioristæ. Et ratio est: Quia Deus a nobis non exigit plusquam nostra conditio patiatur: Cum ergo sit moraliter impossibile semper attingere claram rerum veritatem, ac de ipsis certam omnino notitiam habere, hinc est, quod si quis, post adhibitam diligentiam sufficientem, solam probabilitatem ha-

bet de licititate suæ actionis, absque conflictu alterius majoris probabilitatis, vel si hæc illuceat in Legis favorem,& eam eligat, bene, ac recte operatur. Et, si forsan contra legem eum operari contingat, erit immunis a peccato formali, Legisque formali transgressione, propter invincibilem ignorantiam, quæ semper excusat a peccato formali, cum non importet voluntarium, quod est de ratione peccati, ut docet Angelicus 1. 2. *q.* 74. *a.* 1. & alibi. Pro quæstione autem, quam agitamus, non militat hæc Doctrina, ut constat ex dictis.

Errant igitur, qui nostram Sententiam cum ea, quæ fuit Jansenistarum confundunt, sicut quidam fecerunt in Gallia; quorum tamen volumen ab Universitate Sorbonæ, plurimisque Episcopis damnatum fuit, & etiam ab Alex. VII. *1659.* die *26.* Aug. non minus ac Apologema Caramuelis pro antiquissima, & universalissima doctrina de probabilitate, a Sacra Indicis Congregatione prohibitum anno *1664.* die 15. Januarii.

XI. Joannes de Cardenas, & novissimè quidam Author sub larvato nomine Nicolai Peguleti, (ejus tamen proprium nomen est, P. D. Gabriel Gualdus Vicentinus Cler. Regul. ut referunt Authores, illius celeberrimi Operis Italico Idiomate compositi, cui titulus, *Giornale de' Letterati d'Italia*, to. 1. artic. 14.), integra Volumina edidere in Probabilitatis tutamen, ac ad ruinam, ut putant, probabilioristicæ Doctrinæ. Verum ipsorum studium (sicut & aliorum, qui probabilistico calamo scripserunt) evanescit. Nam ex his quæ hactenus tradidi in hac materia bene perpensis, ferè omnes impugnationes, & argumenta soluta remanent, ac cætera, quæ tradunt, facillimè, usque ad minimum apicem di-

dilui possunt.

Ingenuè fateor, mihi in votis fuisse, Veritatis amore, prædicta Volumina [quorum Authores aliàs humiliter colo] membratim, & articulatim a vertice ad calcem usque impugnare. Sed quia de tempore sic inutiliter consumendo non potuisset me non remordere conscientia, idcircò abstinui. Nihilominus ne omnia, quæ prædicti Scriptores diffusè tradunt, silentio prætercam, aliqua hic subnecti, studiose Lector, quæso patiaris.

APPENDIX PRIMA.
REFELLITUR JOANNES DE CARDENAS.
SUMMARIUM.

1. *QUid-nam sentiendum de quibusdam querelis Cardenæ contra Vincentium Baron, & Jacobum a S. Dominico.*

2. *Ostenditur nil suffragari Cardenæ, cæterisque Probabilistis, quod D. Thomas, aliique antiqui DD., ac PP. quandoque defenderint opiniones benignas libertati consentaneas.*

3. *An subsistat D. Thomæ sententia de sumptione modici Electuarii absque violatione jejunii.*

4. *Evertuntur aliqua fundamenta Cardenæ pro firmanda sequela opinionis minus probabilis in probabilioris conflictu.*

5. *An Probabilistæ, vel potius Probabilioristæ rem Probabilitatis, ejusque controversiam bene intelligant.*

6. *Quomodo ea omnia, quæ alii Probabilioristæ docent, sint vera, & rectè cohæreant, dilucidè ostenditur.*

7. *An D: Th. faveat Cardenæ, vel potius obstet.*

8. *An, & quando in opinione probabili detur vincibilis igno-*

ignorantia.

9. *Explicantur illa Verba* D. *Th.* ex quodlib. 8. a.13. *deprompta*, *videlicet*, aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur.

10. *Prosternitur quoddam argumentum Cardena* (*quod ipse appellat* ineluctabile] *ad probandum*, *quod in quæstionibus moralibus*, *ubi neutra pars certa est*, *sit licitum sequi partem benigniorem*, *seu faventem libertati*.

11. *Manifestatur optimum esse*, *ac stabile Probabilioristicum argumentum*, *ex illa Sacrorum Canonum regula desumptum*, *nempe*, In dubiis tutior pars est eligenda, *nec ullatenus è Cardenæ impugnationibus labefactari*.

12. *Nullum sequi absurdum contra Doctrinam D. Thomæ*, *aut Scoti*, *ex nostra Sententia*, *qua sustinemus*, *in conflictu opinionum æquè probabilium non esse licitum utramlibet eligere ad praxim*, *clarè ostenditur contra Cardenas*.

13. *De aliquibus Epithetis contra Probabilismum*, *de quibus conqueritur Cardenas*.

I. CArdenas igitur *disp.* 15. suæ Theologicæ Crisis per plura capita Vincentium Baron, & *disp.* 56. Jacobum a S. Dominico, ambos Gallicæ nationis, & Ord. Prædicatorum insignes Theologos, suæ doctrinæ impugnatores aggreditur. De ipsorum prætensis *execrationibus*, *exclamationibus*, *conviciis*, & *obiurgationibus* conqueritur, præsertim *in præfat. ad Lect. ante disp.* 55. Nolo ego, ipsorum vindicias assumere: Tum ne arguar imprudentiæ, ad hujusmodi anilia calamum extendendo: Tum ne ad infligendas notas [quod absit] contra Cardenam me trahat affectus erga Collegas meos, & ejusdem Cardenæ pungens in scribendo stylus me compellat. Interim humanitati parco. Duo

Duo tamen tanquam vera, & manifesta scio: Quorum primum est, hunc Authorem illum reatum non parum incurrere, quem suis impugnatoribus lamentabiliter attribuit, dum suas nimis ardenter, imò & mordicus quandoque defendit opiniones. An decipiar nec-ne, Judicem eligo, quemcumque præcitatas duas disputationes expendentem invenero. Alterum est, quod etsi dicteriis, ac verborum asperitatibus nolim unquam præstare suffragium, tam multa tamen sunt detrimenta, quæ a Probabilisticis Assertis, ut plurimum in Ecclesiam derivantur, tam incongrua etiam, & absurda in dies a quibusdam, tanquam inconcussæ veritates, impavidâ, & elata fronte promulgantur, ut acrimoniam foveant, calamum acuant, iram excitent ad excessum. Hæc a me dicta sint, non *ad excusandas excusationes in peccatis*, sed ut quorundam Scriptorum querelas cohibeam, cum videant, suis assertionibus nonnullorum obiurgationibus præbuisse fomentum. Redeamus ad propria.

II. Asserit primò Cardenas *præcit. disp.* 15. *c.* 6. *a.* 5. *n.* 496. sic: *Qua parte propugnamus, licitum esse in conflictu opinionum probabilium deserere opinionem, quæ stat prò lege, & sequi opinionem, quæ suffragatur libertati, ne unum quidem Theologorum dabis, qui huic parti suffragium suum non adiiciat*, & probat, *quia omnes ad unum hujusmodi opiniones sæpe propugnant*.

At frustra insudat Auctor. Siquidem cum ibi loquatur de probabili opinione libertati consentanea, ut præscindit a minùs probabili, (de qua sermonem habet *num. præced.* 495.) & nemo ex Probabilioristis neget, licitum esse illam opinionem eligere, quæ libertati favet, dummodò tamen sit tuta, & moraliter certa,

itaut

itaut nulla oriatur moralis formido de actus licititate, ac trasgressione legis, & solum velint, quod ubi agitur de opinione probabili, in conflictu alterius magis, aut æquè probabilis, stantis pro præcepto, hæc, & non illa eligenda sit, sequitur quod Cardenæ resolutio, ejusque probatio debellat *hostem fictum*, *&* *aerem verberat*, ut ejus proprissima verba contra Vincentium Baron prolata *n.* 513. mihi scribendi phrasim administrent.

Quid ergo prodest Probabilistis, *quod S. Thomas in concursu opinionum probabilium doceat quandoque opiniones probabiles pro libertate contra legem*, *quidquid sit an probabiliores*, *an minùs probabiles?* [ita ibìdem ait Carden. *n.* 410. *d. disp.* 56.] Id quod controvertitur est, an subiectivè, ac respectu ejusdem intellectus liceat amplecti opinionem minus probabilem faventem libertati, in actuali conflictu alterius stantis pro lege, cognitæ ut probabilioris. Divus autem Thomas, & multi alii DD. ante, & post ipsum, plures opiniones propugnavere ex illa parte, quâ hominum libertati favebant; sed eas tuebantur ut sibi probabiliores, & veras, adeòque ut immunes a quacunque formali transgressione legis, cum in tali casu opiniones oppositæ, licet stantes pro rigore Legis, ipsis fierent subiectivè improbabiles, & potius falsæ quam veræ; quicquid sit, an secundum se, & a parte rei essent, vel non essent improbabiles, aut hæ, vel illæ, respectu alterius intellectus, magis vel minus probabiles; quod extra quæstionem est. Recolantur quæ sup. docui §. 2. *n.* 1. & alibi pluries.

III. Non possum tamen dissimulare dolorem, quem mihi infert Cardenas, tangens pupillam oculi mei. Enim ubi *nuper n.* 474. sic ait: *in ea quæstione*, an comme-

mestio electuarii violet jejunium, *S. Thomas secutus est partem LAXIOREM, quæ stat pro libertate. Nam* 2. 2. *q.* 147. a. *6.* ad 3. *ita ait*: Electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum: Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio; nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi. *Dicere autem quòd hæc opinio est plusquam probabilis, & transit ad aliquem gradum certitudinis, ABSURDUM ESSET. Existimo eo quidem tempore fuisse probabilem, quia non ita clarè constabat de intentione Legislatoris Ecclesiastici de iis, quæ præcipue eduntur propter digestionem ciborum. Jam verò ea opinio NON EST PROBABILIS*, (diceret saltem, mihi non est probabilis,) *nisi electuaria sint veræ medicinæ, & ad sanitatem assumantur, quia jam clarius innotuit intentio præcipientis.*

Ergo-ne, *absurdum est* dicere, quod hæc Sententia communis Doctoris *transit ad aliquem gradum certitudinis?* Ergo-ne modo *non est probabilis?* Immo nedum tempore D.Thomæ fuit probabilis, ipsique visa fuit probabilior, vera, & certa, sed & modo plusquam probabilissima est, moraliter (dicam metaphisicè] certissimâ, & verissima. Eam tuentur cum Angelico suo Præceptore omnes Thomistæ, & subscribunt ex domesticis Cardenæ, Busembaum, Lessius, Azorius, Sà, Reginaldus, Filliuccius, Escobar &c. [Vid. Bonac. *de octavo Decal. præc. disp. ult. q.* 1. *p.* 1. *n.* 7.) Sicut etiam Diana, Navarrus, Abulensis, Bonac., Cotonius, Clericatus, & communiter Moralistæ, & hi omnes adductæ rationi S. Doctoris innixi. Et num per mille, ac fermè trecentas Redem-

ptionis Saecula ante D. Thomam ignota fuit Doctoribus intentio Legis-latoris, ab Ecclesiæ primordiis præcipientis jejunium? Num talis intentio *clarius innotuit* tantummodo postremo Sæculo Probabilitatis nebulis, ac tenebris alias involuto? Num *DIVINÆ VOLUNTATIS INTERPRES* (hoc encomio exornat D. Thomam Clemens VIII. in Bulla ad Neapolitanos] supremi Ecclesiæ capitis mentem interpretari nequivit? Igitur-ne Sententia D. Thomæ de sumptione alicujus *modici* electuarii *ad cibi digestionem*, nempe ad modum medicinæ, & ad sanitatem, non ad sensus oblectamentum ordinati, quin adsit Ecclesiastici transgressio jejunii, non erit probabilis, nisi tale modicum electuarium *fit vera medicina*, videlicet pharmacum aliquod ex rhabarbaro, Syrupo aureo, aut Sena orientali confectum ad evacuandum ventrem? Recolat Cardenas suam Doctrinam, a me §. 4. n. 7. superius allatam, videlicet, Azorium esse unum ex Classicis Authoribus Societatis ab eo enumeratis, ac [juxta ipsum) tantæ auctoritatis, ut valeat probabilitatem opinionibus conferre. Cum igitur Azorius dictam Sancti Doctoris sententiam sequatur, jam secundum Cardenas eam reddet probabilem, etsi talis prius non fuisset; adeoque, saltem in gratiam Azorii, debet Cardenas de sua contra Divi Thomæ Doctrinam propositione palinodiam cantare.

Dicet Cardenas *d. disp.* 56. *n.* 375. nunquam se somniare potuisse, quod S. Thomas opiniones libertati consonas docuerit advertenter, ut minus probabiles: Nam constat, Auctores omnes, nedum S. Thomam, in materiis probabilibus semper docere suam sententiam tanquam probabiliorem.

Sed

Sed contra! Nam si ita est, Cardenas iterum in cassum laborat, *& aerem verberat*, cum nos non arguamus eos, qui sequuntur opiniones, quas agnoscunt in conflictu probabiliores, moraliter certas, & excludentes respectu ejusdem intellectus quamcumque moralem formidinem de actus licititate, tametsi faveant libertati; bene vero asserentes, licitum esse amplecti inter partes contradictionis eam, quæ minus probabilis agnoscitur, concurrente opposità, etiam cognità ut probabiliori, juxtà modum pluries explanatum. Falsum est autem, quod Probabilistæ hoc secundum sustinentes, doceant, & sequantur sententiam probabiliorem, ut clarè demonstravi §. 4. *n.* 10. in solutione tertii argumenti.

IV. Asserit secundò idem Cardenas *pracit disp.* 15. *n.* 425. quod *si una* opinio *proponitur intellectui ut probabilior, & altera ut minus probabilis, potest adhuc licitè homo accomodare se in praxi opinioni minus probabili, etsi stet pro libertate contra legem*. Hanc vocat communem Sententiam, *n.* 497. Et hoc est verum inter Scriptores Probababilistas: falsissimum autem, si fiat sermo de omnibus Authoribus, cum nec trigesima pars eorum dictam protegat probabilitatem, ut apertissimè constat ex toto §. 2. In hoc probabilitatis centrum trahi utique non possunt nec D. Thomas, nec tot alii DD. ex illa, & mysteriosè prolatâ Cardenæ assertione, quod ii propugnaverint non semel opiniones libertati consonas, ut nuper vidimus.

Se probasse suum assertum *multis rationibus demonstrativis* affirmat Cardenas *in d. præf. ad Lectorem*, sed fallitur: Omnia enim Probabilistarum argumenta, vel sunt

paralogiſmi, vel nec probabiliter concludunt. Et ne ipſe contra me vociferetur, quod gratis hoc dico, & non probo, (ut pluries *in dd. diſpp.* 15. *&* 56. animosè profert in ſuos Adverſarios Vincentium Baron, & Jacobum a S. Dominico,) conferat unuſquiſue ejuſdem probationes cum his, quæ continentur *in* 3. *&* 4. ex meis §§. & me ſtatim a tali nota liberabit.

Præcipua ipſius fundamenta ad ſtabiliendum probabiliſticum aſſertum, ſunt.

Primò: Quia etſi homo cognoſcat unam ex partibus contradictionis eſſe probabiliorem alterâ, *poteſt* nihilominus *judicare*, *fortè ſe decipi cenſendo* eam *eſſe probabiliorem*; adeoque poteſt alteri minus probabili tutò adhærere. Ita *n.* 425. *diſp.* 15. *cit.*

Hæc ratio eſt contra dictamen rationis, quæ naturaliter docet, id ſemper ſequendum, in quo relucet potius verum, quam falſum, ac ab eo recedendum, in quo potius falſum, quam verum apparet. Si autem in ſubiectivo conflictu opinionis probabilioris cum minus probabili, quis illam omitteret, & hanc eligeret, id ſequeretur, quod potius falſum cognoſcit, quam verum, & e contra, recederet ab eo, quod ſibi videtur verum potius, quam falſum, ut ſupra multoties oſtendi: Igitur irrationabiliter, & per conſequens illicitè procederet. Et non-ne ſtultum ſtultis ipſis videretur, quod præſtitis omnibus diligentiis ad cognoſcendam veritatem, vel, & multò magis, hac, in vi naturalis luminis, ſponte ſeſe obviam faciente, poſſit quis voluntariè, ac ſimul rationabiliter ei terga vertere, ſub inani, ac futili prætextu, quod *fortè decipitur* in clariori cognitione ejuſdem veritatis?

Se-

Secundò probat Cardenas *ibidem* suam conclusionem: *quia cum motivum probabilius adhuc incertum sit, non cogit intellectum ad sui assensum; ideoque potest voluntas imperare assensum ad partem minus probabilem, quæ cum habeat etiam rationes graves, & firmas, quibus nitatur, dici non potest assensus temerarius, sed prudens, & viro prudente dignus.*

Verum jam demonstravi §. *præced. nn.* 1. & 2. falsum esse principium probativum hujus argumenti, & falsum etiam consequens ab eo deductum.

Ad id, quod additur de assensu prudenti, & in quo præcipuè fundatur Probabilistarum opinio, abundè responsa dedi supra in solutionibus ad primum argumentum, & præsertim *nn.* 1. 2. & 6. Eapropter corruit totum id, quod amplificat Cardenas *d. disp.* 15. *n.* 497. & *seqq.* in favorem illius decantati argumenti, ab ipso ibi sic efformati: *Qui operatur prudenter non peccat: Sed qui operatur ex opinione probabili* (*bene intellecta*] *operatur prudenter: ergo qui operatur ex opinione probabili, non peccat.* Et

V. Nota illas particulas, *bene intellecta*, idest [ut sæpius explicat Author *in d. disp.* 15.) quando stant pro ipsa optima motiva, & rationes, ac solida fundamenta, quæ reddant eam in praxi verè probabilem. Et *ib. n.*426. hæc addit: *Scio enim, rem probabilitatis non ab omnibus rectè intelligi, præcipuè ubi fit reflexio supra probabilitatem.* Hanc reflexionem penitus profligavi supra §. 3. *n.* 4.

Quod autem quæstio probabilitatis a multis non bene intelligatur, verissimum est, nempe ab omnibus Probabilistis. Etenim totus illorum labor est circa opinionem verè probabilem, secundum se sumptam, quam

etiam

etiam nos fatemur esse non raro optimam regulam operandi, quando, scilicet, major de obiecto certitudo haberi nequit. At controversia est de opinione probabili in probabilioris conflictu: Et in hoc sensu iterum atque iterùm in antedictis evidenter probavi, opinionem, aliàs secundum se probabilem, suam deperdere probabilitatem, concurrente probabiliori stante pro Lege, nec posse intellectum de illa amplius opinari; ac proinde illas optimas rationes, ac motiva, & solida fundamenta opinionis probabilis amplius talia non esse, nec illam reddere in praxi licitam, & honestam. Videantur superius exarata *in hoc* §. *n.* 6. & §. 3. *n.* 4. & alibi. Oportet ergo, ut Probabilistæ id, quod controvertitur, probent, quod certe nec præstant suis paralogismis, (in quibus a probabilitate in sensu diviso, ad eandem in sensu composito concludunt,) nec in sæcula præstabunt. Ut quid ergo inaniter assevèrant, quod *Adversarii non percipiunt sensum doctrinæ de opinione minus probabili eligenda*? Card. *disp.* 56. *n.* 915.

VI. Asserit tertiò idem Cardenas *disp.* 56. *cit. c.* 15. *a.* 1. Authores nostræ Sententiæ inter se non convenire: Unde *n.* 741. concludit. *Ex quibus constat, quomodo ne unus quidem conveniat cum alio, sed quod unus admittit, alius negat: Et (quod mirabile est] omnes volunt pro sua sententia stare S. Thomam*: Vide quam indubitanter in re tam falsa hic Author loquatur.

Falsâ, inquam. Omnia siquidem ab eo ibi relata ex Probabilioristis quò ad substantiam optimè cohærent, & vera sunt, *si bene intelligantur*.

Primò igitur verum est, quod ibi *n.* 735. ait P. Comitolus, non esse de præcepto (quicquid sit de consilio] eli-

eligendam partem strictiorem, aut tutiorem; cum sufficiat eligere *tutam*. Ita

Tuta autem non est pars minus probabilis in conflictu probabilioris, in sensu, ac terminis præsentis quæstionis.

Secundò verum est, quod *ib. n.* 736. asserit Antonius a Cella Dei, eam opinionem eligendam esse, quæ *ferè semper est vera* idest, quæ, juxta judicium prudentiale, & moraliter certa, vera, & tuta judicatur; tametsi physicè, aut metaphysicè possit esse falsa. Ita

Non est autem juxta judicium prudentiale, nec vera, moraliter certa, & tuta potest judicari opinio minus probabilis, concurrente probabiliore, in sensu, ac terminis præsentis quæstionis.

Tertiò verum est, quod ib. *n.* 737. docet Fagnanus posse in conflictu opinionum tutò ad praxim reduci opinionem faventem libertati, si, hinc inde discussis rationibus, in ea quiescat intellectus, itaut vi motivorum ejusdem expellat omnem formidinem (scilicet moralem] Si autem non expellat formidinem, tutiorem (videlicet adversativè ad aliam, quæ tuta non est] sequendam esse, sicut in dubio practico. Quod si una videatur minus probabilis, non potest deduci ad praxim: Et, si ambæ sint æque probabiles, eodem modo pars pro Lege contra libertatem eligenda est; quia tantum sequenda est ea, quæ intellectui proponitur ut vera, & moraliter certa. Ita

Certum est autem non expellere omnem moralem formidinem, nec intellectui proponi ut veram, & moraliter certam, opinionem minus probabilem, concurrente probabiliori, in sensu, ac terminis præsentis quæstio-

ſtionis. Et idem dico de opinione favente libertati, æqualis ponderis in probabilitate cum alia ſtante pro præcepto, ut ex dictis evidenter innoteſcit, & ſeq. §. *n.* 1. *& ſeqq.* demonſtrabo.

Quarto verum eſt, quod *ib. n.* 738. affirmat Julius Mercori, nimirum, ſemper eligendam eſſe partem probabiliorem ſtantem pro Lege. In duobus tamen caſibus eligi poſſe minus probabilem in favorem libertatis. Primò, *ſi nomine partis minus probabilis intelligatur pars tuta, & nomine probabilioris pars tutior:* Sed tunc ly *minus probabilis*, & ly *probabilior* impropriè ſumuntur pro ly *tuta* & ly *tutior*. Secundo, *quando minus probabilis ex motivo intrinſeco, per motivum extrinſecum creditur certa moraliter*. Et tunc eſt, quando probabilitas extrinſeca ſuperat intrinſecam probabilitatem, adeoque probabiliorem reddit opinionem in conflictu. Ita

Tuta autem non eſt, nec moraliter certa opinio minus probabilis in probabilioris conflictu, in ſenſu, ac terminis præſentis quæſtionis.

Quintò verum eſt, quod *ib. n.* 739. dicit Baron, admittens ad praxim opiniones, *quæ nulla adverſantium ratione colliduntur*, quæ, ſcilicet, etſi non habeant omnimodam certitudinem metaphyſicam, ſunt tamen in conflictu probabiliſſimæ, ac moraliter certæ, omnemque formidinem excludunt, cum *nulla* oppoſitarum opinionum *ratione collidantur*. In conflictu autem reliquarum opinionum ſemper ſequendam eſſe partem pro Lege contra libertatem, *etiamſi pars, quæ ſtat pro libertate, probabilior ſit*, ideſt, quando etiam ſtante tali probabilioritate, tuta non eſt, quatenus ex ratione, ac motivis opinionis oppoſitæ ſtantis pro lege, patitur colliſionem, &

mo-

moralem formidinem admittit de sua licititate, ut §. *seq.* *n.* 20. apertè probatum dabo. Ita

Nequit autem dici, quod opinio minus probabilis libertatem fovens nullà concurrentis opinionis oppositæ probabilioris, præcepto faventis, *ratione collidatur*, aut omnem moralem formidinem excludat, in sensu, ac terminis præsentis quæstionis.

Sextò, verum est, quod *ib. n.* 740. ait Gonettus (ex ipso Cardenas,) quod quando una opinio est probabilior alterâ, etiamsi probabilior stet pro libertate contra Legem, posse hanc eligi ad praxim, dummodo omnem moralem formidinem excludat. Quando autem probabilior stat pro Lege contra Libertatem, illam debere eligi ad praxim. Quando autem opiniones sunt æquè probabiles, semper standum esse pro strictiori, & tutiori [idest pro tuta, adversativè ad aliam in tali casu non tutam) contra libertatem. Similiter verum est id, quod addit, nimirum, posse hominem sequi opinionem probabilem, si factâ sufficienti diligentiâ, tunc alia probabilior non apparet: Tunc enim opinio probabilis non est in conflictu, sed sumitur secundum se; Unde nec potest dici magis, vel minus probabilis. Ex quo sequitur, quod si quis in hoc casu, & factâ prædictâ diligentiâ ad inveniendam veritatem, operetur ex opinione probabili falsa, & legi Dei contrariâ, quam invincibiliter putat esse veram, & legi Dei conformem, a peccato excusari: Ita: & hæc omnia jam supra clarissimè demonstrata sunt, & seq. §. majori perfundentur luce.

Nihil autem ex his [ut constat) convenire potest opinioni minus probabili concurrente probabiliore, in sensu, ac terminis præsentis quæstionis.

Septimò tandem verum eſt, quod *ib. n.* 741. firmat Jacobus a S. Dom. admittens (ex verbis ipſius Cardenæ) opinionem, quam vocat *quietam*, *quæ ſcilicet non colliditur rationibus adverſæ partis: In reliquis autem ſemper tenendam eſſe partem ſtrictiorem* [nota hanc dictionem, quæ videtur libertati aliqualiter odioſa, & quà ferè nunquam utuntur, aut ſùpradicti, aut alii DD. Probabilioriſtæ, & in præſenti Scrutinio ex me nunquam eam invenies, cum ſit incongrua, & veritatis hujus doctrinæ non expreſſiva, & tamen ſæpe adducitur a Cardenas in referendis noſtrorum Sententiis) *pro lege contra libertatem, etiamſi opinio, quæ ſtat pro libertate, ſit probabilior oppoſita;* videlicet, quando non eſt tuta, & quieta, (ideſt quietans intellectum, & conſcientiam,) ſed adhuc *colliditur rationibus adverſæ partis* ſtantis pro Lege, & admittit moralem formidinem de actus honeſtate. *Addit tamen aliquas limitationes, in quibus poteſt admitti probabilitas, quando hæc pervenit ad certitudinem moralem.* Ita: Et vide *inf. n.* 10. *V. prima quidem*, de Vincentio Baron.

Non eſt autem *quieta*, nec pervenit *ad certitudinem moralem*, ſed *colliditur rationibus adverſæ partis*, opinio minus probabilis, concurrente probabiliori, in ſenſu, ac terminis præſentis quæſtionis.

Quod omnia, hic a Cardenas ex præfatis Probabilioriſtis recenſita, vera ſint, ac pro ipſis ſtet D.Thomas, apertiſſimè conſtat ex adductis probationibus in præcedentibus, & ſubſequenti §§. Quod verò omnia ſimul cohæreant, ſatis innoteſcit ex hoc, quod ea ſimul in hoc Tractatu, abſque ulla exceptione ſuſtinemus. Et etiam pro his omnibus, & ſingulis, eorumque Patronis ſtare

ſtare D. Thomam, eſt luce meridiana clarius, ſi ejus rectè perpendantur authoritates, a nobis per totum Tractatum, ſed præſertim §. 2. adductæ, & explicatæ.

Cur igitur contra præfatos DD. invehit Cardenas dicens, quod *ne unus quidem conveniat cum alio, ſed quod unus admittit, alius negat?* Num juſtam promeret quærelam, ſi quis contra ipſum ex ejus verbis inferret, probabilioriſticam non intellexiſſe doctrinam? Quod eorum Authorum ſinguli non omnia exprimant, quæ alii explicitè tradunt, non ob id dici poteſt, *quòd unus admittat, quod alius negat*. Aliòquin idem poſſet hæreticus contra Sacros quatuor Evangeliſtas blaſphemare, cum unus ex eis aliquid narret, quod alius reticet.

Adverſarii quidem in plurimas dividuntur probabilitatis ſectas, quia nullum habent, nec habere poſſunt Probabiliſmi veracem, fidum, ac juſtum legis-latorem. Unde Mercorus *Baſ. Theol. mor. par.* 2. *a.* 27. quindecim dicendi, ac docendi modos in Probabilitatis opem ex libris Probabiliſtarum enumerat.

VII. Aſſerit quartò Cardenas pluries *in utraq. cit. diſp.* Authoritatem D. Thomæ *quodl.* 8. *a.* 13. a me *ſup.* §. 2. *n.* 1. adductam, & explicatam, non favere Probabilioriſtis. Dicit enim, præcit. verba S. Doctoris, *Illud autem, quod agitur* CONTRA LEGEM, *ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundum conſcientiam*, intelligi de eo, quod eſt contra legem *claram, & manifeſtam, & cujus non poteſt haberi error niſi culpabilis, & vincibilis*. Ita ſcribit *d. diſp.* 15. *n.* 450. Et poſt pauca explicans, quare conſcientia tunc dicatur culpabilis, *quia*, inquit, *poteſt*, & tenetur ſcire, attendendo diligenter ad principia intrinſeca. Et *ib. n.* 458. repetit, D. Thomam

intelligendum esse de casu, quo ea opinio (scilicet de non possidendis duabus Præbendis) *a principiis intrinsecis sit clara, & manifesta, itaut possidens possit, & teneatur scire veritatem.* Similiter *d. disp. 15. n.* 499. idem affirmat, quod, scilicet, S. D. in præfato textu *de conscientia vincibiliter errante intelligendus est, & de ea Lege tam nota hominibus, ut si ad eam attenderetur, & adhiberetur sufficiens diligentia ad ejus cognitionem, clarè cognosceretur.*

In primis Cardenas valde abutitur terminis, cum illud non dicatur, nec sit subiectivè respectu ejusdem intellectus *clarum, & manifestum*, quod ab ipso ignoratur, esto ignorantia vincibili, quatenus, scilicet, quis nescit, & ignorat veritatem, quam *potest, & tenetur scire*, adeoque vincibiliter ignorat, & per consequens peccat. Unde veritas sic vincibiliter ignorata, nullo modo dicitur, aut est actualiter clara, & manifesta, non minus ac respectu illius, qui eam invincibiliter ignorat: Quidquid sit, an in primo casu homo peccat, quia id ignorat, quod tenetur, & potest scire; Secùs verò in secundo, propter oppositam rationem. Illud autem dicitur, & est nobis actu clarum, & manifestum, quod a nobis clarè, ac manifestè cognoscitur. Verum ne in quæstione de nomine sistamus,

Gratis admisso, & non concesso, posse dici clarum, & manifestum id, quod modo dicto vincibiliter ignoratur, nescio quid, vel minimum, in sui, & Probabilistarum favorem, vel adversus Probabilioristas ex hac glossa valeat Cardenas emendicare. Certe nihil omnino. Docet S. D. semper esse peccatum, quod in sequela alicujus opinionis agitur contra legem, *nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam*, scilicet opina-

nativam, aliâ opposita concurrente opininione; ut *num. nuper cit.* explicui. Quid ergo sibi favorabile potest ex hoc inferre Cardenas?

VIII. Respondet, *In Opinione probabili esse non posse ignorantiam culpabilem*, *eo quod* (attende ad istam causalem Cardenæ) *ut disertè affirmat S. D. eo art.* 15. (scilicet quodl. 8.) *non vertitur culpa ignorantia eorum, quæ quis non tenetur, aut non potest scire:* Proinde cum sola ignorantia, & error culpabilis non absolvat a culpa, inde fit, quod in sequela opinionis minus probabilis, concurrente opposita probabiliori, nulla culpa intercedat. Ita, & non aliter potest, ac debet deduci consequentia; alioquin hæc responsio Cardenæ *ubi ante n.* 483. ad rem nostram non pertineret.

Sed contra: Nam quando dicitur, *in opinione probabili esse non posse ignorantiam vincibilem*, vel est sermo de opinione probabili secundum se sumptâ, vel de ipsa, ut in conflictu alterius. Si primo modo, certum est, sufficere aliquando ad licitè operandum solam probabilitatem de obiecto, quando, scilicet, omnibus præstitis diligentiis, major de ipso certitudo haberi nequit; juxta superius non semel resoluta: Et consequenter operans in vi talis probabilitatis dicitur veritatem invincibiliter ignorare, si fortè contra eam agere ipsum contingat, quia non potuit eam scire. At in hoc sensu responsio Cardenæ *debellat hostem fictum, & aerem verberat*, cum de hoc nulla sit dubitatio, nec præsens instituatur dubitatio. Si secundo modo sit sermo de probabilitate, videlicet in conflictu alterius, prout requirit quæstio, quam agitamus, tunc falsa est illa propositio, nempe, *in opinione probabili esse non posse ignorantiam culpabi-*

bilem, nec leviter fulcitur ex illa causali ab Adversario adductâ ex D. Th., cum potius per eam omnino conteratur: Quod sic ostendo.

Nemo peccat in eo, quod invincibiliter ignorat, quia *ignorantia eorum, quæ quis non tenetur, aut non potest scire*, excusat. Ergo, è contra, tunc aliquis peccat, quando ex ignorantia vincibili agit contra legem, quia tunc error conscientiæ procedit *ex ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, & potest* (ait S. D. *lo prox. cit.*): Sed qui in contradictorio concursu duarum opinionum probabilium circa aliquam rationem moralem eligit affirmativam libertati consonam, reiicit verò alteram negativam faventem legi, & æqualis, aut etiam majoris probabilitatis, nedum non operatur *ex ignorantia ejus, quod non tenetur, aut non potest scire*, quinimo apertis luminibus, ac voluntariè id agit in praxi, quod *SCIT, ET COGNOSCIT* potius esse contra, quam pro lege, potius falsum, quam verum [ut patet, & pluries in antedictis innotuit), tametsi non omnino physicè, aut metaphiysicè certum id cognoscat, propter motiva opinionis oppositæ: Ergo peccat, si legem eum transgredi contingat, *nec excusatur per hoc, quod* agit *secundum Conscientiam* opinativam, quod, scilicet, in vi opinionis affirmativæ sit ei licitum agere, quod agit, cum videat, & *COGNOSCAT* suam Conscientiam efformandam esse conformiter ad alteram opinionem probabiliorem, aut æque probabilem, sed tutam, imo juxtà illam jam eandem conscientiam efformasse, quia probabiliorem, & veram potius, quam falsam judicavit: Ergo in opinione probabili potest esse ignorantia culpabilis.

Urgeo præterea. Secundum Cardenas tunc dicitur

tur quis agere contra legem *claram*, & *manifestam*, adeoque formaliter peccare, quando operatur ex vincibili ignorantia eorum, ſcilicet, quæ poteſt, & tenetur ſcire: Ergo multo magis operabitur contra legem, ſibi *claram*, & *manifeſtam*, & per conſequens peccabit, qui non ignoranter, ſed advertenter id operatur, quod cognoſcit potius eſſe contra, quam pro lege, licet non omnimodam de hoc certitudinem habeat, vel claritatem, propter opinionum conflictum: Modo ſumus in caſu: Ergo &c.

Dices cum eodem *d. diſp.* 15. *n* 540. & *ſeqq.* quod, etſi eligens opinionem probabilem libertati faventem, in concurſu alterius, æqualis, vel majoris probabilitatis, & ſtantis pro lege, poſſet ſcire veritatem, & eiicere, ſeu vincere ignorantiam, quam habet de opinione oppoſita, ad id tamen non tenetur; quia poteſt prudenter deponere dubium, quod habet de illa, ex ratione, ac motivo rationabili, & urgenti, ſibi præſtito ab opinione probabili, quam ſequitur: Eſt autem certiſſimum excuſari hominem a peccato, tam per defectum obligationis, quam per defectum poſſibilitatis phyſicæ. Igitur ſemper eſt verum, in opinione verè probabili eſſe non poſſe vincibilem ignorantiam.

Sed contra. Nam inſtantia a me nuper efformata implicitè probat etiam, operantem ex opinione probabili conſonâ libertati, in conflictu alterius, teneri vincere ignorantiam, quam habet, cum videat, ſe alias eligere id, quod eſt potius contra, quam pro lege, vel ſaltem id, quod tutum non eſt, & in quo eſt periculum legem tranſgrediendi (ſi opinio, quam ſequitur, eſt æquè probabilis, ac altera): Ergo ſi negligit, aut non vult

vult talem ignorantiam vincere, ea ignorantia est ipsa peccatum, cum sit de his quæ *potest, ac debet scire*.

Ultra quod, sic operantem non posse in tali conflictu prudenter deponere dubium practicum, quod habet de actus licititate, ex solis motivis exhibitis a probabilitate opinionis, quam eligit, nec esse immunem a periculo legem transgrediendi, pluries, & solidè probavi, præsertim §§. 2. & 3.

Itaque velint, nolint, & Cardenas, & quotquot sunt è probabilistico cœtu, D. Thomas nullatenus eis suffragatur, sed viriliter obstat. Quapropter cum Illustriss. ac Reverendiss. D. Antonius Godeau Episcopus Vinciensis, in quodam suo Edicto, seu Mandato adversus Apologiam Casuistarum; per extensum retulisset doctrinam S. Thomæ *ex quodl. 8. a.* 13. sic ait: *Hæc verba ita clara sunt, atque perspicua, & ita demonstrant opinionem falsam, licet probabilis judicetur, non excusare a peccato, nec licere facere, quod per se licitum est, quando dubitatur an sit licitum, ut satis mirari non possimus cæcitatem eorum, qui hunc locum afferunt ad doctrinam probabilitatis stabiliendam*.

Sileat ergo Cardenas, ac deleat *ex n.* 481. *d. disp.* 15. hæc verba: *Ex iis, quæ ex S. Thoma proposuimus, non obscurè nostra Sententia colligitur*. Deleat etiam quod scripsit *n.* 942. *disp.* 65. nimirum: *Constat, quomodo Adversarii perperam intellexerint, eum textum S. Thomæ ex quodl.* 8. *a.* 13. Constat siquidem ex commentaria explicatione, quam tradidi §. 2. n. 1. Probabilioristas optimè S. Doctoris verba intelligere, ac sensum.

IX. Insurgit Cardenas *disp.* 58. *n.* 749. sic: *S. Thomas ibidem* (hoc est quodl. a. 13. nuperrimè adduc.] *affirmat*

posse

posse contingere, quod intellectus constitutus inter adversas opiniones Magistrorum, ex contrarietate opinionum habeat dubitationem de honestate habendi plures prabendas; & posse contingere, quod ex tali contrarietate in nullam dubitationem incidat: Et in primo Casu committere se discrimini; in secundo verò nullum esse periculum peccati, etiamsi executioni mandet opinionem, quæ stat pro libertate, nempe habendi plures prabendas. Tum sic: Adversarii docent, in conflictu opinionum semper esse dubitationem, ratione cujus tenetur homo operari partem tutiorem contra libertatem: Et S. Thomas docet, posse contingere, quod hæc contrarietas opinionum non pariat dubitationem, & quod tunc possit homo sequi partem, quæ stat pro libertate: Ergo Adversarii contradicunt S. Thomæ. Et *num. seq.* addit: *Sane donec Sedes Romana non me docuerit oppositum, nunquam credam, S. Thomæ aliam esse mentem.*

Nihilominus absque ulla Apostolicæ Sedis Oraculi necessitate faciliter respondeo, tunc verificari dictum S. Thomæ, videlicet, *aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat*, quando una ex iis opinionibus ita levia habet motiva comparativè ad suam oppositam, ut subiectivè, ac respectu ejusdem intellectus, nequeat in sui assensum ipsum movere; adeoque ita a Probabilitate cadit, ut omnino habeatur tanquam improbabilis, & falsa (quidquid sit respectu alterius intellectus]. Tunc enim non dicitur concurrere, & esse in conflictu formaliter, & exercitè, cum ipsi vires deficiant ad præliandum, sed tantum materialiter, & veluti signatè: Nam succumbente hoste cessat conflictus, & pugna. Hoc autem non evenit in casu præsentis controversiæ; ut ex

V di-

dictis huc-usque abunde remanet probatum. *Credat* igitur Cardenas *S. Thomæ aliam esse mentem*.

X. Asserit quintò Cardenas *ubi nuper n.* 742. se ad probandum, in quæstionibus moralibus, ubi neutra pars certa est, posse nos sequi partem benigniorem, eam scilicet, quæ stat pro libertate relictâ tutiori, proposuisse *disp.* 15. *c.* 4. *a.* 1. *n.* 430. argumentum, quod vocat *ineluctabile*, & subdit: *Admiror vehementer, quod, cum Jacobus a S. Dominico tam acriter adversetur meæ Sententiæ, non aggrediatur responsionem ad argumentum ADEO ROBUSTUM*. Et *num. seq.* addit: *In hoc loco citato reperies responsiones duas, quæ huic argumento possent exhiberi: Ubi ostendi eas opiniones esse FRIVOLAS, & INANES*.

Audiamus argumentum *ineluctabile*, & *adeo robustum*.

Inter D. Augustinum, & D. Hieronymum exortæ fuerunt aliquæ controversiæ de moribus, *defendente altero partem tutiorem pro lege contra libertatem, stante altero pro libertate contra legem. Et ex Episcopis, ac viris sanctissimis illius ævi alii sequebantur Hieronymum, alii verò stabant pro opinione Augustini: Ergo ex disputationibus intercedentibus inter Augustinum, & Hieronymum, infertur manifestè, non teneri nos semper sequi opinionem strictiorem, quæ stat contra libertatem*.

En *eluctabile, debilissimum, ac nullius roboris* argumentum.

Audiamus Probabilioristicas responsiones, quas iste Author vocat *frivolas*, & *inanes*.

Dices primò, in iis casibus Sanctos Patres secutos esse partem benigniorem, quæ sibi proponebatur ut probabilior, & rationi conformior. Ita *n.* 434. *d. disp.* 15.

Di-

Dices secundo, *quando S. Hieronymus defendebat opinionem contra S. Aug.* (aut è converso] *Sanctum Doctorem omnino expulisse formidinem circa illam opinionem*. Ita *n.* 744. *disp.* 65.

Quam *solidas*, *plenas*, & *veras*, tametsi faciles responsiones, quæ constant ex dictis: Et prima est ad mentem ipsiusArguentis, qui asserit Authores omnes in materiis probabilibus semper docere suam sententiam, tanquam probabiliorem, ut vidimus n. 3. præsentis Appendicis.

Accedant Cardenæ impugnationes, & sunt hujusmodi.

Prima responsio *non est ad rem*: *Nam juxta Sententiam Baron, quam modò impugnamus, etiamsi pars benignior, sive minus tuta sit probabilior, nullo modo licet eam sequi*. Ita *n.* 435. *disp.* 15.

Secunda responsio *non valet, quia id est dicere, S. Hieronymum propugnasse suam opinionem tamquam certam, & judicasse oppositam Sententiam S. Augustini nullo modo probabilem: Hoc autem non potest dici de Hieronymo, qui sciebat, oppositam Sententiam propugnari ab Augustino, cujus sapientiam, ingenium, & doctrinam magnoperè suspiciebat Hieronymus*. Ita *cit. disp.* 65. *n.* 744. Idem fusius exprimit *d. disp.* 15. *n.* 437. Verùm

Futiles sunt hujusmodi impugnationes.

Prima quidem: Nam optimè *ad rem* Vincentius Baron, ac alii Probabilioristæ docent, opinionem stantem pro libertate, tametsi oppositâ probabiliorem, non esse in praxi eligendam, nisi sit, aut prudenter judicetur *tuta*, & omnem excludat moralem formidinem de actus honestate; Ut in hac Appendice *num.* 6. jam dixi,

etiam remissivè. Quocirca idem Baron, allegatus a Cardenas *d. disp.* 15. *n.* 28. docet, in conflictu opinionum *non esse recedendum ab opinione pro lege* (quam vocat ibidem *UNICE TUTAM*,] *maximè si præscribat media ad salutem necessaria, nisi adversa opinio pro libertate infinitis partibus ita vincat, ut vix tenuissima probabilitas illi reliqua sit;* quando, scilicet, opinio stans pro lege, nullum habet pro se, in conflictu alterius, motivum sufficiens, ac potens movere in sui assensum intellectum operantis, nec ullam in eo moralem formidinem de actus licititate generare: Ruit ergo prima Cardenæ impugnatio.

Secunda etiam: Etenim libenter concedo, *S. Hieronymum propugnasse suam opinionem tanquam moraliter certam, & judicasse oppositam sententiam S. Augustini nullo modo* in conflictu, ac subiectivè *probabilem*. Et idem dico è converso. Imo ita, & non aliter, debet unusquisque judicare, ut tutò, ac licitè valeat operari, quando datur opinionum conflictus: Aliòquin non haberet certitudinem moralem de suæ operationis honestate, ad licite operandum requisitam; quia haberet adhuc de ipsa moralem formidinem, propter motiva, adhuc, & actu sibi satis probabilia opinionis oppositæ, stantis pro lege; quæ proinde sola esset tuta, cum tantummodo in ejus sequela abesset periculum legem perrumpendi, non autem in electione, ac praxi alterius, faventis libertati. Cum ergo contra moralem certitudinem, seu *contra motiva evidentia, etiam moraliter nulla* detur *peobabilitas*, [ut loquitur, & sæpe concedit idem Cardenas, & præsertim *cit. disp.* 15. *n.* 412.) nempe, sufficiens ad movendum intellectum in sui assensum, hinc est &c. Videantur

tur quæ docui §. 2. præsertim *nu. 1. & 2.*

Nec hujusmodi judicium de morali certitudine propriæ opinionis, adeoque de improbabilitate suæ contradictoriæ præjudicat doctrinæ, ingenio, aliisque prærogativiis eorum, qui oppositam tuentur opinionem. Nam etsi veritas una, & individua sit, non tamen omnibus eodem modo manifestatur: Et inde fit, quod unus intellectus putat se veritatem in aliquo obiecto invenisse, quam alter existimat in opposito infallibiliter se habere; Quod totum provenit ex debilitate, limitatione, ac imperfectione humani intellectus. Cum quo tamen stat, quod unusquisque debet ei opinioni assensum præbere, ac secundum illam conscientiam suam efformare, quæ debitâ præstitâ diligentiâ, sibi, non aliis, vera videtur; aliòquin contra proprium judicium, & conscientiam operaretur.

Certè, tametsi ego sim minimus inter Scriptores, nec dignus corrigiam solvere calceamentorum Patris Cardenas, aliorumque insignium virorum, quorum opiniones reiicio, & impugno; Nihilominus meas sententias, ac specialiter istam de Probabilioritate, ita certas, ac infallibilibus argumentis respective probatas existimo, ut oppositas censeam improbabiles, & falsas. Et eapropter nunquam in meis Assertis, ac resolutionibus utor his terminis, *probabilius est*, *probabilius dicendum*, & hujusmodi; cum improbabilis mihi sit in conflictu, quæcumque alia opinio meis assertionibus adversatur. Paratus sum tamen id, quod docui, retractare, & aliorum sententiis adhærere, statim ac mihi effulserit nova veritatis lux, quam unicè inquiro. Tunc mihi valde decorum erit (imo, & ad salutem necessarium] excelsos illos

illos imitari litteraturæ Heroas, videlicet, Eminentissimos de Aguirre, ac Pallavicinum, & Reverendiss. P. Thyrsum Gonzalez Societatis Jesu Præpositum Generalem, & alios non paucos, qui probabilioristicæ veritatis fulgore illustrati, quem prius colebant, Probabilismo apage dixerunt.

XI. Asserit sextò Cardenas *pracit. disp.* 15. *n.* 413. *& seqq.* Argumentum in favorem nostræ sententiæ desumptum ex illa in sacris canonibus decantatâ regulâ, *In dubiis tutior pars est eligenda*, ex utroque pede claudicare.

Primò, (inquiens,) *nam opinio probabilis non est dubium, nec dubitatio, immo cum assensu probabili incompossibilis est dubitatio: Ergo totus ille apparatus textuum Canonicorum non est ad rem. Quare contra suos Authores reflecto argumentum. In dubiis tutior pars amplectenda est: Sed cum quis habet aßensum probabilem, nec est, nec potest eße in dubio: Ergo cum quis habet assensum probabilem, non est ei tutior pars amplectenda.*

Secundo claudicat argumentum. Nam quando pro utraque parte contradictionis sunt opiniones verè probabiles, neutra est formaliter tutior; nulla enim est magis tuta formaliter, quam ea, quæ nullum affert periculum peccandi: Sed qualibet opinio verè probabilis nullum affert periculum peccandi: Nulla ergo opinio verè probabilis est formaliter magis, vel minus tuta. Ex quo putat, facilè solvi argumentum illud, quo a nostris Probabilioristis firmatur per se proximum periculum peccati, annexum opinioni æquè, aut minus probabili, quæ favet libertati contra legem, negat enim hujusmodi periculum adesse. Sed

Argumentum neutro pede claudicare, ac recto gres-
su

ſu incedere notiſſimum eſt. Et

Primò: Nam opinionem ex ſe verè probabilem, ſtantem pro libertate, poſitam in conflictu alterius, æqualis, vel majoris probabilitatis faventis præcepto, ſecum afferre periculum formaliter peccandi, ſatis, ſuperque in hoc tractatu a me validiſſime probatur: Unde quantum ad hanc partem nil ſupereſt impugnandum.

Secundò: Quia etſi opinio probabilis, in ſe, ac intranſitivè, non ſit dubium, nec dubitatio, eam tamen indiſpenſabiliter importat, & ſecum affert; ut patet ex definitione opinionis, quæ eſt *Aſſenſus intellectus ad unam partem contradictionis CUM FORMIDINE alterius*.

Nec ullatenus obſtat, diſtinguere cum Cardenas, *diſp*. 6. *cap*. 5. *n*. 71. inter formidinem, & dubitationem, ac dicere, quod in opinione probabili, *ſtante aſſenſu concluſionis datur formido*, hæc tamen formido *non vertitur in dubitationem*, ſed ſolum *deficiente aſſenſu*.

Siquidem etſi formido non ſit idem, ac dubium, ſeu dubitatio, ſi dubium ſtricto modo ſumatur, & prout importat æquilibrium metaphyſicum, aut mathematicum, tum ex parte motivorum, tum ex parte intellectus, ſi tamen accipiatur minus ſtrictè, & ut importat trepidationem aſſenſus, ac excludit firmam adhæſionem intellectus obiecto intelligibili, (ſicut re-vera ſumitur, ac ſumi debet in præſenti controverſia,) tunc idem eſt dubium, ac formido moralis, & ubi hæc invenitur, datur & illud. Imo quò ad præſens attinet, eligens in opinionum conflictu minus probabilem, relictâ probabiliori juxta ſenſum hujus quæſtionis, cum videat contra ſuam opinionem fortiora urgere motiva, a ſe cognita ut talia, magis dicitur, & eſt dubius faciendi contra le-

legem, quam ille qui ex duabus opinionibus æqualis probabilitatis eam amplectitur, quæ suæ favet libertati. Recolantur a me superius dicta §. 2. *n.* 1. §. 3. *n.* 3. & §. 5. *n.* 20. Quod si Cardenas velit non dari quandoque formidinem moralem in intellectu, una cum assensu probabili, extra conflictum actualem, & exercitum opinionum, modo pluries explicato, & hic paulò ante num. 8. iterum adducto, ejus responsio ad rem non pertinet.

Nec ulterius obstat, si Cardenas dicat *ib. nn.* 51. 71. & 134. cum motivo, seu inter motiva, & rationes probabiles dari quidem dubitationem, seu dubium, non verò cum assensu probabili, quia cum isto est semper incompossibilis dubitatio.

Nam assensus intellectus debet necessariò commensurari cum motivis assentiendi ex parte obiecti, a quibus sumit formaliter suam specificationem: Et eapropter assensus intellectus dicitur, & est scientificus, quando motivum assentiendi scientificum est. Si ergo cum motivo probabili bene componitur, & datur dubitatio, ut concedit Adversarius, pariter eadem dubitatio compossibilis erit, ac dabitur cum probabili assensu.

Totus ergo *ille apparatus textuum Canonicorum* de præfata regula, quæ Probabilismum enervat, & enecat, *est ad rem*, nec potest probabilioristicum argumentum ex ea formatum in suos Authores retorqueri.

XII. Asserit septimò Cardenas *d. disp. 65. cap. 16. a. 5. per totum*, ex nostra Sententia (quam reservamus tuendam §. *seq. n.* 1.) de eligenda opinione probabili, stante pro pro lege, in conflictu alterius æquè probabilis faventis libertati, resultare *ingens absurdum* [ut ait *n.* 869.)

hoc

hoc argumento expressum: *Si in conflictu opinionum aquè probabilium non esset licitum utramlibet eligere ad praxim, sequeretur, quod quoties est conflictus opinionum S. Thoma, & Scoti, non possent Scotista gubernare conscientiam suam ex opinione S. Thoma; Sed neque ex opinione Scoti, quia remanerent in puro dubio practico. Cum apud Scotistas sit Scotus authoritate par S. Thoma, & ambo Doctores habeant opiniones oppositas, & sape non attendatur ad motiva intrinseca, necesse est, quod apud Scotistas illa opiniones sint ad summum aquè probabiles: Sed hoc est ingens absurdum, & fit evidens iniuria Doctrina S. Thoma, & expostulabunt Scotista de iniuria illata Scoto: Ergo in conflictu opinionum aquè probabilium, licitum est alterutram amplecti ad praxim; & falsum est, quod ex aquè probabilibus resultet dubium practicum.*

Tametsi hoc argumentum directè non sit contra præsentem difficultatem, sed contra eam, quæ §. *seq. consect.* 1. adducetur, hic tamen volui ad solutionem illud vocare, ut a Cardenas me totaliter nunc expedirem.

Supposito igitur, quod Scotista existimet, Scotum æqualis esse authoritatis cum D. Tho. (quid quid sit de veritate hujus suppositi,) nec attendat pro illo tunc ad motiva intrinseca, (ad quæ tamen advertere debet magis, quam ad extrinseca, ut sic dicatur omnino invincibiliter ignorans veritatem, si contra eam fortè agere contingat,] vel ea sibi æqualiter appareant probabilia;

Respondeo faciliter, quod pugnantibus inter se opinionibus D. Thomæ, & Scoti, debet Scotista, post adhibitam diligentiam ad cognoscendam veritatem, illam opinionem amplecti, & ad praxim deducere, quæ favet legi, altera libertati consona rejecta, sive a D. Th.

sive a Scoto propugnata. Ratio est: Quia tunc adhæret illi opinioni, quæ respectu sui intellectus sola tuta est, & in qua nullum datur periculum legem transgrediendi. Neque in hoc ulla fit iniuria doctrinæ D. Thomæ, aut Scoti; quia unusquisque tenetur in operando sequi dictamen propriæ conscientiæ, & intellectus assensum, juxta prudentiæ regulas efformatum. Evanescit ergo *ingens absurdum* in mente arguentis exortum.

XIII. TandemCardenas *ubi nuper nn. 569.*& 571. questus effundit propter quædam *invida* (ut ait) *epitheta* contra Probabilistarum sententiam a Jacobo de S. Dom. (sicut & ab aliis, qui prius scripserunt) adinventa, dum ille sic effatur: *Tota doctrina de probabilitate remissa nihil est, nisi ars cavillandi, vel potius fucata peccandi licentia, simplicitati Christianæ prorsus inimica, & toti humano generi perniciosa;* dum eam appellat *morbum, abyssum, malum* probabilitatis, *vagam, laxativam conscientiæ,* artem *claudicandi in utramque partem &c.*

Verum quiescat Author, & parcat Jacobo: quia forsan is loqui arbitrabatur ad mentem Summi Pontificis Alex. VII. qui in præfatiuncula sui decreti condemnativi octo, & viginti propositionum, editi anno 1665. hoc de modernæ probabilitatis doctrina oraculum protulit: *Modus opinandi irrepsit,* non loquitur Papa de opinionibus improbabilibus falsis, & ab ipso damnatis, sed de MODO OPINANDI, nempe de regulis, de fundamentis, ac principiis probabilitatem fulcientibus] *alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, INGENS erruptura esset CHRISTIANÆ VITÆ CORRUPTELA &c.* Excusandus igitur Jacobus: Sicut

etiam

etiam me fore excusandum spero, quod huic §. præsentem contra Cardenæ Crisim addiderim, & sequentem, contra Peguleti de probabilitate Tractatum, ampliorem sim superadditurus Appendicem. Sit ergo

APPENDIX SECUNDA.
REFELLITUR NICOLAUS PEGULETI.
SUMMARIUM.

1. *Assignatur finis, quem sibi præfixit Peguletus in scribendo.*

2. *Discutitur, in quo sensu loquatur Peguletus de probabilitate.*

3. *Frustra ipsum laborasse ostenditur.*

4. *Adducuntur præcipua Peguleti motiva, & rationes, quibus probare nititur, probabilitatem esse rectam regulam morum.*

5. *Respondetur primo argumento, & ostenditur, opinionem probabilem merito approbari.* Cap. cum Marthæ.

6. *Respondetur secundo, ac tertio argumento; & clarificatur, quomodo antiqui DD. secuti fuerint non-numquam in moralibus opiniones probabiles.*

7. *An sit inconveniens, quod aliquis Doctor suam opinionem, ut moraliter certam existimans, oppositam opinionem judicet ut certò moraliter falsam; etsi a sapientissimis DD. propugnatam.*

8. *Etiam de obscuris haberi potest certitudo moralis.*

9. *Quæ-nam Regula servanda sit, quando in obscuris non relucet aliquod motivum, inducens ad certitudinem moralem.*

10. *Quomodo Peguletus interpretatur Authoritatem*

 D.

D. Thomæ ex quodl. 9. a. 15. *videlicet*: Præcipuè autem periculosum est, ubi veritas ambigua est.

11. *Sed reiicitur ejus interpretatio.*

12. *Non excusantur a lethali culpa Doctores, qui opiniones sibi minus probabiles alios docent.*

13. *Respondetur quarto argumento; & declaratur quænam regula servanda in materiis ad Fidem spectantibus, quando de ipsis dantur opposita Doctorum opiniones.*

14. *Satisfit quinto argumento; & ostenditur probabilitatem deservire ad praxim, licitam quidem, si juxta nostra principia, illicitam verò, si conformiter ad Probabilistarum sensum.*

15. *Quid dicendum de querelis Peguleti propter iniurias contra probabilitatem: ibi remissivè.*

16. *Peguletus modestiam in aliis cupit; sed ipse modestiam non servat.*

17. *Ex Decreto Innoc. XI. reprobantis 65. propositiones, non infertur, alias propositiones in eo non contentas, & quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur, habere aliàs rationes graves.*

18. *Imo ex eo potius deducitur, multas propositiones in eo non contentas, negativè condemnari.*

19. *Proponitur a Peguleto solidum Probabilioristarum argumentum, in hoc fundatum, quod ex moderna probabilitate plura enascantur absurda; cui se respondere dicit, ipsum evidenter in Adversarios retorquendo.*

20. *Non omnia falsa sunt, quæ Peguletus ut falsa ex Antiquis adducit.*

21. *Et insuper, multò plura sunt falsissima asserta in Recentiorum voluminibus comprehensa.*

22. *Ostenditur apertissimè, nullam esse responsionem Pe-*

Peguleti ad argumentum n. 19. *propositum*.

23. *E principiis antiquorum non-nisi veræ derivantur assertiones: Secus autem a Probabilistarum principiis.*

24. *Qui-nam sint inexcusabiles in eorum falsis Assertis Prisci Authores, vel moderni Probabilistæ.*

25. *Iterum innuitur remissivè, teneri Doctores eas sententias tueri, quas putant veras, aut saltem vero-similiores, sive libertati faveant, sive Legi. Proinde*

26. *Defenditur Natalis Alexandre a Peguleti redargutione.*

27. *An subsistat dictum Vincentii Baron, quod, scilicet Opiniones benignæ Divi Th. sint moraliter certæ.*

28. *Clarè manifestatur non-nullas D. Thomæ sententias a Peguleto allatas, eum sensum non habere, quem ipse putat, nec prorsus suæ probabilitati favere.*

29. *Peguletus malè confundit opiniones benignas cum laxis.*

30. *Diffusè ostenditur, ex Authoritatibus Angelici Doctoris, & aliorum Antiquorum non posse Peguletum inferre, quod voluntas ad libitum valeat flectere intellectum ad assentiendum simul opinioni minus probabili, concurrente probabiliori. Quapropter explicatur verus sensus plurium Sententiarum D. Thomæ.*

31. *Probatur, quod intellectus a probabiliori parte determinatus nequeat de minus probabili opinari.*

32. *Probatur etiam, quod intellectus, constitutus inter partes contradictionis æqualis probabilitatis, naturaliter, & necessariò remaneat suspensus.*

33. *Alter explanatur Doctoris Angelici Textus, quo non bene utitur Peguletus ad probandum, quod voluntas possit physicè flectere intellectum ad assentiendum in sensu composi-*
to

to parti minus probabili .

34. *Parvipenditur nota Scrupulositatis, qua Peguletus nonnulloss inficit Antiquos .*

35. *Ab exceptionibus Peguleti defenduntur aliqui prisci Authores Probabiliorista .*

36. *Specialiter contra Jo. Majorem, ejusque solidam doctrinam, nimis inconsideratè insurgit Peguletus .*

37. *Sylvestri, & Cajetani Probabilioristica testimonia detruncata respectivè, aut non ea, qua sunt efficaciora, citat Peguletus . Unde,*

38. *Infertur, an multa fides adhibenda sit tot Antiquorum authoritatibus, quas truncatim allegat hic Scriptor.*

39. *Remissivè ostenditur, non posse Peguletum declinare Authoritates Sacra Scriptura, Sanctorum PP., Sacrorum Canonum, & summmorum Pontificum .*

40. *Sustinetur pracipuè Authoritas quadam D. Augustini cum illatione Natalis Alexandre, & occluditur evasio Peguleti .*

41. *Eas morum regulas a SS. PP., & Canonibus datas, videlicet*, tene certum, & dimitte incertum, & in dubiis tutior pars est eligenda, *nostram fovere Sententiam declaratur, simul reiiciendo interpretationes Peguleti .*

42. *Quod SS. PP. nobis concinant, Adversariis autem obstent, dilucide comprobat Alexandri VII. Decretum.*

43. *Concilium Viennense sub Clem. V. Probabilioristis favet .*

44. *Enervantur Peguleti responsiones, & sustinetur argumentum Cleri Gallicani, e pradicti Viennensis Concilii doctrina optimè, ac robustissimè formatum .*

45. *Instatur Peguletus, ut suam opinionem, rationibus de-*

destitutam in posterum retractet.

46. *Nil contra Concilium Cleri Gallicani probat Peguletus, vel quod Probabilistarum principia Antiquis arriserint, vel quod non sint initium, & caput damnatarum propositionum.*

47. *Assignatur maximum discrimen inter* novam *doctrinam Probabilistarum, & Novitates, quæ Angelico Doctori attribuuntur.*

48. *Novitatibus D. Thomæ tota cum Summis Pontificibus plaudit Ecclesia.*

49. *Quam decipiantur Scriptores, ita faciliter reiicientes D. Thomæ sententias, ipsumque tanquam unum ex aliis Authoribus existimantes, & allegantes.*

50. *Novitates autem Probabilistarum, eorumque regulas, &* opinandi modum *reprobat Apostolica Sedes.*

51. *Peguletum in suo probabilitatis tractatu nullatenus probasse Doctores antiquos fuisse Probabilistas ad normam Recentiorum, ex dictis infertur manifestè.*

52. *Sicut etiam ipsum gratis dixisse, nos non intelligere Probabilitatis doctrinam, nostramque Sententiam* nullo jure, aut rationis fulcimento *gaudere.*

53. *An potiori jure Probabilioristis nil aliud in sui favorem desiderandum remaneat, præter definitionem Ecclesiæ.*

I. PRæcipuus Peguleti scopus in scribendo is fuit, quem præsefert voluminis ejus frontispicium his verbis: *Tractatus probabilitatis ex principiis Antiquorum compositus*, & quem in Epistola ad Lectorem expressè declarat nempe, Probabilistarum *placitum Antiquis placuis-*

tuisse, & quod Probabilioristarum *rigidà opinio priscis Authoribus non arriserit*. Difficilem planè provinciam assumpsit Peguletus; & licet non levem, me judice, in plurimis evolvendis Antiquorum libris subierit laborem, in cassum tamen laboravit, ut infra faciliter innotescet.

Ab æquivoco Asserto sui Operis exordium sumit Peguletus *cap.* 1. *n.* 1. dicens: *Omnes Doctores, qui Probabilioristæ, vel Securistæ nominantur*, (laudabiliter sic nominantur, utpotè qui tutò ac pro conscientiæ securitate, non pro libertate procedunt, ac militant,) *in hoc concordant, Probabilitatem non esse bonam regulam morum*. Nam,

II. Vel loquitur de probabilitate secundum se, absolutè sumptâ, & prout præscindit ab altera in oppositum concurrente, saltem respectu ejusdem intellectus, vel de ipsa, prout subiectivè in suæ contradictoriæ conflictu.

Si primo modo, falsò Probabilioristas accusat, cum ipsi communiter doceant, probabilitatem, sic sumptam, esse bonam operandi regulam, [non quidem ut præcisè probabilitas est, quia sic non potest esse bona regula morum, ut optimè fatentur Probabilioristæ. Sed quatenus importat certitudinem moralem, ut infra explicabo *num.* 6. *& seqq. &* §. *V. n.* 20.) quando, scilicet, ex ignorantia invincibili major de obiecto certitudo haberi nequit, ut pluries in antedictis ostendi. Et certè omnia ferè Adversariorum, & etiam Peguleti argumenta nil aliud convincunt: Et manifestè cognoscitur eos rem probabilitatis non intelligere, nempe, in quo situm sit difficultatis pondus, cum ita insudent in eo, de quo non dispu-

putatur. Unde videtur posse verificari de præsenti controversia, quod *Eccl. 6.V.23.* habetur: *Sapientia Doctrina* (videlicet sensus hujus quæstionis) *non est multis manifesta* (quia ab omnibus Probabilistis ignoratur]: *Quibus autem cognita est*, (nempe Probabilioristis] *permanet usque ad conspectum Dei*. Nam qui semel hanc doctrinam edoctus fuerit, etiam ex his, qui e Probabilismo ad Probabiliorismum in dies transeunt, eam usque ad mortem inclusivè tuentur.

Si verò secundo modo hic Author loquatur, (sicuti re-vera loquitur, etsi pro nunc præscindat ab hoc, quod conflictus sit de majori, vel minori, aut æquali probabilitate,) libenter cum omnibus Probabilioristis fateor MERAM *probabilitatem non esse bonam regulam morum* JUXTA resolutiones supra elucidatas, & §. *seq.* statuendas, quando, scilicet, est de opinione subiectivè minus, aut æque probabili, & favente libertati. Et in hoc sensu Peguletus in præfata propositione verum dicit, & simul falsum supponit, oppositum sentiendo.

III. Hinc fit eundem Peguletum oleum, & operam perdere in tuenda hac bona morum regula, præcipuè *Capp.* 20. 21., & 22. cum omnia quæ ibi congerit, vel priorem sensum sapiant, vel si aliquem conflictum importent, non-nisi certè respectu diversi intellectus; de qua re nulla habetur discrepantia, nec ulla instituitur concertatio inter DD. Et licet idem Scriptor conetur ostendere vim suæ probabilitatis in conflictu etiam subiectivè, ac respectu ejusdem intellectus, nunquam tamen id probat, præcipuè ad intentum suum, nempe, ad inferendum in aliis sui voluminis capitibus, invaluisse, apud Antiquos praxim de opinione favente libertati minus,

aut æque probabili, & cognita ut tali. Et ne videar ipsi iniuriam irrogare, audiamus quid roboris afferant ejus argumenta iis relictis, quæ nullius aut parvi momenti sunt, vel jam a me superius diluta fuerunt; sicut est illud, quod adducit *n.6.d.cap.* 21. videlicet, famosam Authoritatem Aug. *ep.* 19. *c.* 1. relatam *C. Ego solis 9. dist.* & a pluribus Probabilistis in triumphalis gloriæ specimen deportatam, nimirum, quod S. Doctor ideo aliquos Authores legebat, in quantum id,quod sentiebant, *probabili ratione persuadere potuerunt*. Siquidem ad hoc responsionem dedi *sup.* §. 2. *n.* 3. quem locum consule.

IV. Primò itaque dicit in eodem *cap.* 20. *n.* 13. opinionem probabiliorem approbari cap. *cum Martha* de celebr. Miss., & Clement. *de Sum. Trinit.* Cum ergo *opinio probabilior* sit *in linea*, & *specie probabilitatis*, sequitur quod probabilitas sit recta regula morum.

Secundò proponit *n.* 18. hanc argumentationem, quam putat *esse demonstrationem*, videlicet: *Omnes DD. qui scripta ediderunt, tum qui Sanctitate floruerunt, tum qui solum doctrina claruerunt, secuti sunt opiniones probabiles in moralibus, & quæ poterant aliter se habere, quia quilibet habuit opiniones oppositas aliis: Ergo vel doctrina probabilis est certa regula morum, vel omnes DD. erraverunt: Hoc secundum sine ingenti temeritate nequit dici: Ergo primum est asserendum.*

Tertiò, ad probandum, quod probabilitas, etiam *formaliter* sumpta, (quando, scilicet, intellectus cognoscit aliquam opinionem ut probabilem, & quod potest aliter se habere,) sit *bona regula morum*, adducit *d. c.* 21. *n.* 2. Quod D. Thomas non-nulla docuit, quæ solum erant

erant probabilia, & ab ipso ut probabilia cognoscebantur: E.G. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *a.* 1 *q.* 4. dicit opinionem asserentium, Peccatorem non teneri statim ad Confessionem, *videri probabilem*. Sic etiam expresse asserit, opinionem dicentium, junctum in Matrimonio non posse vovere castitatem independenter a comparte, *esse probabiliorem:* Cum ergo *de ratione opinionis* sit, *quod id, quod est opinatum, existimetur possibile aliter se habere* juxta eundem S. D. 2. 2. *q.* 1. *a.* 5. *ad* 4. sequitur, quod si D. Thomas tradidit aliquas opiniones intra metas probabilitatis, existimavit eas posse aliter se habere, adeoque ut reduplicativè probabiles. Alia D. Th. testimonia affert Peguleti *capp.* 13. *&* 14. ad idem probandum: Sicut etiam *cap.* 22. plures Antiquorum opiniones cum illis particulis, *probabile, probabiliter &c.* a quibus adducendis abstineo brevitatis gratiâ.

Quartò sic arguit *num.* 16. *d. cap.* 21. In materia fidei, dum DD. sentiunt contraria, licitum est, ante determinationem Ecclesiæ, tenere unam partem, vel alteram, (idest opinari, ut *ib.* explicat *n.* 21.) sine periculo peccati, vel fidei, ut constat communiter apud Theologos, & patet in Abbate Joachim, qui tenebat contrarium ad id, quod Magister Sententiarum dixerat in 1. *dist.* 1. pro quo Magistro Ecclesia determinavit *de Sum. Trinit. C. Damnamus*; nec tamen dictus Joachim incidit in hæresim, aut perfidiam propter hoc, quia dicta sua omnia subiecit correctioni Ecclesiæ: Ergo a simili licet in moralibus unam, vel alteraam opinionem sustinere, antequam Ecclesia quidquam de illis determinaverit; non enim plus nocet homini errare in articulo fidei, qui non est declaratus ab Ecclesia, quod

sit de necessitate credendus, quam nocere posset actus moralis contra aliquod agibile perpetratus: Ergo probabilitas, etiam in conflictu, est bona regula morum. Et hoc argumentum ait Peguleti desumi ex Gersone, ac Nider, & adduci a D. Antonino locis ibi citatis.

Quinto denique sic argumentatur *num.* 27. Alexander VII. & Inn. XI. damnant tanquam scandalosas, ut minimum, quasdam propositiones, quæ dicebantur probabiles. Talis est quadragesima Alexandri: *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem sensibilem, & carnalem.* Talis est sexta Innocentii: *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum.* Ergo quod opinio sit probabilis, inservit ad praxim; Si enim non inserviret, cur illas damnaret ut scandalosas?

V. Ad primum respondeo, quod opinio probabilior meritò approbatur d. can. *Cum Martha*; quia quando opinio in conflictu alterius est probabilior, est tuta, & habet certitudinem moralem, & non meram probabilitatem, utcumque sumptam, ut sæpe a me dictum est; adeoque, licèt absolutè, ac speculative aliter esse possit, [ac proinde opinionis limites non excedat, nec ad gradum scientiæ transferatur, ut ostendi §. 4. *n.* 10. *ad* 4. *arg.*] secus tamen moraliter, & practicè, cum omnem de actus honestate moralem formidinem excludat. Vide quæ inf. dicam §. 5. *n.* 20. *per totum*. Hinc

VI. Ad secundum dico, plurimos antiquos DD. secutos non-numquam fuisse in moralibus opiniones probabiles, & quæ speculativè, ac absolute loquendo, non autem moraliter, practicè, poterant aliter se habere, ut

ut nuperrime dictum est. Siquidem eas cognoscebant, & docebant ut sibi moraliter certas, sive in, sive absque actuali, & contradictorio aliarum conflictu: Nam deficiente conflictu, nulla in ipsis oriebatur, nec oriri poterat in praxi dubitatio, ut constat, cum nulla esset in oppositum opinio pugnans. Stante autem conflictu, quando hic erat de opinione sibi probabiliori, stante pro lege, hanc sequebantur: Si de minus probabili, illam reiiciebant: Si vero de æqualiter probabili, quando, post adhibitas diligentias ad inveniendam veritatem, & habendam de illa certitudinem saltem moralem, æquilibrium, ac dubium superare non poterant, eam eligebant, quam legi consonam, ac proinde tutam esse cognoscebant, alterà repudiatâ, in qua periculum erat legem violandi; Sicque licèt in hoc casu non haberent certitudinem speculativam de obiecto, practice tamen certo sciebant se licite, ac virtuose operari. Ita, & non aliter, ab omnibus, in dubiis opinionum, quo ad praxim, tenendum est: alioquin non excusantur a peccato, cum se exponant periculo legem transgrediendi, ut ex dictis apertè constat, & magis §. 5. *nn.* 1. & 2. manifestabitur. En faciliter solutam *demonstrationem* Peguleti.

Quod si dicas, adhuc intentum argumenti subsistere, quod, scilicet, *Probabilitas ut talis* fuerit *per antiquos DD. regula morum*, (sic ait *d. cap.* 22. *n.* 76.] nec ex mea responsione ullatenus ejus probationem labefactari.

Respondeo primò, ex mea solutione totaliter evanescere intentum argumenti, ejusque probationem. Nam Doctores antiqui non utebantur, tanquam regulâ morum, probabilitate ut mere tali, (in quo sita est vis præsentis, ac aliorum argumentorum,] sed quatenus defi-

cien-

ciente omnimoda certitudine metaphysica, aut physica, motivum probabile operandi, ad gradum certitudinis moralis subiectivè augebatur, seu illam in se continebat: Et per consequens, hujusmodi certitudo, & non probabilitas utcumque, erat, & est regula morum, & operationum.

Et ut evidenter constet, probilitatem ut sic, & in genere, non esse rectam morum regulam, sic arguo. Quod convenit alicui secundum se, & secundum sua prædicata essentialia, convenit ipsi, in quocumque statu ponatur, & in quacumque sui specie consideretur: ut docent omnes Metaphysici, & patet in Animali, quod quia in suo conceptu essentiali, & generico importat esse principium sentiendi, idcirco idem etiam retinet in speciebus Animalis, E.G. in homine, leone &c.: Sed cuicumque probabilitati tali, ac specificè sumptæ, convenire non potest esse bonam regulam morum: Tum quia In. XI. damnavit hanc propositionem, *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*: Tum etiam quia, ut solidè probavi supra, & præsertim §. 2. & 3. non est licitum in praxi eligere opinionem minus probabilem in conflictu, ac relictà probabiliori stante pro lege: Ergo probabilitati ut sic, & secundum se consideratæ, nequit convenire, esse rectam regulam morum, ac per consequens tota ruit probabilistica machina, quam Peguletus tanquam irrefragabilem operandi normam elevavit.

Respondeo secundo, gratis dato, & non concesso, intentum argumenti salvari (quod contra nos non urget, ut vidimus) non tamen salvatur intentio arguentis,

tis, quæ ad hoc tendit, ut præjacto isto fundamento de probabilitate ut sic tanquam bonâ regula morum, facillimè statuere possit, etiam probabilitatem talem, & in conflictu, nempe minorem, aut æqualem, esse rectam morum regulam, cum hæc specifica probabilitas intra lineam probabilitatis in genere contineatur: Quæ probabilitates cum in sensu multoties explicato toto cœlo distent, ab una nequit ad aliam, nisi peralogisticè, illatio duci.

Ad tertium eodem modo respondendum est, nimirum, Communem Doctorem non semel sustinuisse aliquas opiniones, quas noverat, aliter esse potuisse, metaphysicè loquendo, non tamen moraliter, & juxta regulas prudentiæ, propter moralem certitudinem, quam de ipsis habebat, & cum exclusione cujuscumque moralis formidinis de opposito. Et sic præfata certitudo, & non sola probabilitas, erat Divo Th. recta regula sententias suas propugnandi.

VII. Nec valet prima instantia Peguleti *ib. n.* 4. quod D. Thomas *sciebat, Doctores sapientissimos sibi opponi; V.G. in illa quæstione, quod præceptum jejunii incipiat in fine tertii septennii, noverat irrefragabilem Alensem illam parum probabilem reputasse. Unde impossibile est, quod D. Thomas suam opinionem crediderit esse in linea certitudinis: Sic enim judicasset, Alensem certò errasse; quod non est dicendum.*

Siquidem [ut contra Cardenas docui in præcedenti Append. *n.* 10. *erga finem*) nullum est inconveniens, quod sicut D. Thomas suam opinionem moraliter certam existimabat, ita certò moraliter falsam opinionem Alensis reputaret. Imò aliter non poterat, nec potest quis alius in simili casu judicare, quando, scilicet, agitu

tur de contradictorio duarum opinionum assensu, ut ex dictis manifestè liquet.

VIII. Nec etiam valet secunda instantia ejudem *ibid. n.* 7. quod, scilicet, *impossibile est, quod in materia obscura quis possit invenire motiva inducentia ad certitudinem*. Nam in rerum natura datur Opinio, & hæc excludit certitudinem, & non-nisi in materia obscura dari potest, quia in materia clara, & quæ non potest aliter se habere, datur scientia: *Ergo in hac materia non debet quis judicare illam opinionem certam, quia aliter fingeret ex libito voluntatis.*

Non, inquam, valet. Nam etiam in obscuris unus intellectus præ alio pertingere potest ex vi proprii luminis ad obiecti certitudinem, non quidem metaphysicam, (supposito quod adhuc salvetur opinionis essentia, & non fiat transitus ad scientiam,] sed moralem; quam non esse incompossibilem cum opinionis quidditate innui in responsione ad primum, & ibi remissivè probavi.

Ultra quod, ne arguens putet, quod saltem quando in obscuris non relucet aliquod motivum inducens ad moralem certitudinem, quæcumque probabilitas sufficiat ad rectam regulam morum:

IX. Dico, tunc servandam esse in praxi regulam ab antiquis DD. traditam, & de qua nuper dixi in responsione ad secundum, videlicet eam opinionem in conflictu eligendam esse, in qua nullum est periculum peccati, ac legem transgrediendi. Quod docuit S. Doctor *quodl.* 9. *a.* 15. dicens: *Omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè* [idest saltem certò moraliter] *veritas habeatur, periculosè determinatur.......*

Præ-

Præcipuè autem periculum est, ubi veritas ambigua est.

X. Hanc ita perſpicuam D. Thomæ authoritatem chimericâ interpretatione nititur evadere Peguletus *ubi ante n. 6.* his verbis: *Quando autem D. Thomas dicit*, quod præcipuè periculoſum eſt, quando veritas ambigua eſt, *non ſignificat, quod præcipuè ſit periculoſum in ambiguis determinare quæſtiones, niſi veritas* expreſsè, *ideſt* certò *habeatur; quia ſic Sancti, ad invicem contrarii in his quæſtionibus, peccaſſent mortaliter.* (Conſidera frivolam hanc probationem, ſeu ſequelam; quaſi quod Sancti oppoſitas opiniones ſuſtinerent ad modum probabiliſticæ Recentiorum doctrinæ, eligendo, ſcilicet, *ex libito voluntatis* quamlibet ex illis, nullâ habitâ ratione, imo relictâ illâ parte, quæ ipſis videretur tuta, & immunis a Legis tranſgreſſione; quod ſi feciſſent, utique mortaliter peccaſſent, propter dictam rationem S. Doctoris.) *Significat ergo, quod maximum periculum accidit errandi, ideſt non dicendi veritatem in quæſtionibus ambiguis. An verò error in biſce caſibus ſit excuſabilis, an verò non, hic non dicit aliquid; unde hoc eſt quærendum ex aliis textibus S. Doctoris, & credo patere ex textu cit. quodl. 8., & CERTUM, puto quod ſit excuſabilis.*

XI. Si Peguletus corticem textus D. Thomæ nunquam vidiſset, non ſic aberrare potuiſset in ejus explicatione, ac erravit in præſenti. Et quis etiam clauſis oculis non videt, verba D. Thomæ ſignificare, ac oſtendere periculum errandi, ideſt peccandi, non præcisè in dicenda veritate, ſed præſertim in practicè eligenda, ac ſe determinando ad eam opinionem, quæ non vacat periculo peccati? Ibi quærit Angelicus Præceptor, utrum *HABERE* plures præbendas ſine cura animarum, abſque diſpenſatio-

tione, *SIT PECCATUM MORTALE*. Et ad resolvendum quæsitum, utitur illo universali principio, quod *omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur*. Et postea idem principium applicat ad propositam quæstionem, subdens: *Præcipuè autem periculum est, ubi veritas ambigua est; quod in hac quæstione accidit, in qua inveniuntur Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contraria sentire*. Cum ergo & quæsitum, & ipsius resolutio, & doctrina corporis articuli non sint de periculo non dicendi veritatem, sed de periculo peccandi, cui se exponit, qui se determinat ad partem affirmativam faventem libertati, nimirum plures præbendas possidendo, non obstante, quod materia quæsiti non sit de re clara, sed obscura, & *ambigua*, propter oppositas Magistrorum opiniones, idcirco non-nisi ex voluntatis arbitrio sensum textus Angelici restringit Peguletus ad periculum non dicendi veritatem.

Hæc a me dicta intelligantur tantummodo ad manifestandum, doctrinam Divi Thomæ præcipue respicere praxim, & in ordine ad illam apertè indicare periculum peccandi; ut etiam supra ostendi §. 2. *n.* 1. in commentaria explicatione *d. art.* 15. *quodl.* 8. ejusdem S. Doctoris.

Cæterum non intendo per hoc, nec possum excusare a lethali culpa Doctorem illum, qui, probabilitati utcumque fidens, congruam omittit diligentiam in disquisitione veritatis, vel opinionem a se cognitam ut minus, aut etiam ut æquè probabilem, sed legi Dei non consonam, amplectitur. Peccat enim mortaliter illam docendo, præsertim ubi agitur de rebus ad fidem,

ve

vel bonos mores pertinentibus; ***nec ullam excusationem habebit de peccato suo*** [ait Petrucci *Luc. mor. c.* 7. §. 4. *Append. n.* 8. in fine]; Cum in re gravi contra proprium Doctoris officium operetur, non pandendo veritatem, sed periculosam probabilitatem aliis, ut rectam morum regulam, authenticando, & exhibendo, ac opiniones tuendo, a periculo legem transgrediendi non immunes. Et valde miror, quod Peguletus asserat, ***certum*** putare, ex praeadducto art. 13. S. Thomae ***patere***, quod quando ***maximum periculum accidit errandi***, ***idest non dicendi veritatem in quaestionibus*** ambiguis, error ***sit excusabilis***. In primis etenim ibi S. Doctor nec verbum habet de hujusmodi periculo non dicendi veritatem. Deinde ex ratione ab eodem S. Doctore adductâ in praeallegato art. optimè infertur tanquam *CERTUM*, eum Authorem graviter peccare, qui defendit, ac docet opinionem militantem de facto contra legem; nec excusari per hoc, quod secundum ejus conscientiam opinativam, in praxi licita ipsi videatur: Sicut in operando, illud, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam, [itidem opinativam,] ait S. Doctor.

Si replices cum Peguleto *d. c.* 21. *n.* 11. quod in materiis obscuris, & quae a DD. controvertuntur, non tenemur scire veritatem.

Ad hoc respondeo, quod etsi non teneamur scire veritatem, quando ejus notitia nobis est moraliter impossibilis, nihilominus tenemur tam in docendo, quam in agendo, diligentiam adhibere ad eam inveniendam; & multo magis tenemur eam sequi, quando in opinione probabiliori se nobis verisimilius manifestat. Cujus tamen

men oppositum faciunt Probabilistæ, eligentes, ac tuentes partem, quam agnoscunt minus verisimilem, idest minus probabilem, & potius falsam, quam veram; qui proinde a peccato non excusantur.

XIII. Ad quartum dico, quod etiam inter varias, & oppositas Doctorum opiniones ad materiam fidei spectantes, debet unusquisque ante determinationem Ecclesiæ illam sequi, quam judicat verisimiliorem, & magis conformem Doctrinis SS. Patrum, & Ecclesiæ; nec potest, citra culpam, illi opinioni adhærere, quæ sibi minus probabilis apparet, propter easdem rationes, quæ militant in moralibus.

Si autem detur casus (aliàs fere impossibilis,) quod quis omnino æquales in probabilitate undequaque cognoscat opiniones Doctorum oppositas in eisdem materiis fidei, tunc debet assensum suspendere, nec se ad alterutram partem determinare, sed solum internè credere de re controversa, quod coram Deo credendum est; nisi immineat aliquis actus externus, necessariò ad praxim deducendus, & ad illam sibi omnino dubiam quæstionem pertinens; quia tunc exclusâ conscientiâ erroneâ ex motivis prudentialibus, quod nemo debet esse perplexus, & ad impossibile non tenetur, poterit pro tunc illi opinioni practicè adhærere, de qua actus exterior exercendus est. Quod si forsitan ipsum in hoc errare contingat, error censendus erit excusabilis. Cum enim ex una parte veritatem invincibiliter ignoret, & sit dispositus ad eam amplectendam si cognosceret, ut suppono, & ex altera quælibet ex dictis opinionibus possit re-vera esse contra fidem, & ipsam veritatem, ut patet, proinde nulla securitas in agendo, vel credendo,

re-

relucet potius in una, quam in altera parte contradictionis; ac per consequens licitum erit, modo dicto, utramlibet eligere in praxi. Hoc autem non valet in moralibus. In his etenim unam ex opinionibus contradictoriè oppositis semper stare pro lege, & alteram pro libertate operantis, omnibus innotescit; adeoque in casu rarissimo æqualis probabilitatis subiectivè, potest, ac debet quicumque vult operari, partem illam eligere, quæ favet legi, cum ipsa sola sit tuta, & absque periculo peccandi, alterâ relictâ, in cujus electione se di scrimini manifestè committeret.

XIV. Ad quintum respondeo, Probabilitatem deservire ad praxim, vel bonam, & licitam, si juxta nostra principia fit, & applicetur ad illam; vel malam, & illicitam, si conformiter ad Probabilistarum placita. Et quia hoc secundo modo præfatæ duæ propositiones in obiectione allatæ, ac multæ aliæ consimiles probabilitate gloriabantur, & tamen quacumque probabilitate erant indignæ, licet primariis Probabilistarum principiis, & authoritate fulcirentur, idcirco contra eas Pontifices Summi anathema protulere. Remanet modo, ut iidem Christi Vicarii, post plurimos nimis erumpentes probabilisticæ arboris detruncatos ramos, radicem perimant, Probabilistarum principia damnationis fulmine feriendo; quod utinam ad plurimorum salutem fiat.

XV. Ad tuendam suam *gloriosam Probabilitatem* (sic eam appellat *c.* 23. *n.* 3. & *c.* 12. *n.* 53.) a Probabilioristarum iniuriis, [ut ait) probris, execrationibus &c. evaginato ense accurrit Peguletus *cap* 1. *per totum*. Verum de hac re sufficienter dixi *in præced. Append. nn.* 1. 13. *&* *aliis*, cum in simili esset sermo de Cardenas, a quo Pegu-

guletus plura desumpsit, & cujus in suo Opere fidus est Sectator.

Duo tamen specialiter in eo cap. consideranda sunt.

XVI. Primum est, quod hic Author modestiam cupit in aliis, & modestiam ipse non servat. Siquidem *d. c.* 1. *n.* 13. sic ait: *Hæc dicta sint ad compescendam multorum Probabilioristarum AUDACIAM*, Et *cap.* 10. *n.* 1. de Fagnano Gonetto, Baron, & Jacobo a S. Dominico ita effatur: *Nihil mirum esset, quod hi DD. tali argumento* [forti, & robusto, inferius adducendo) *innixerentur; nam scribunt in probabilitatem tanto ardore, & acri disputatione, ut possimus suspicari, quod calor disputationis ita ipsis cerebrum calefecerit, ut mens non potuerit haurire species claras ad discernendam imbecillitatem argumentationis*. Et *cap.* 18. *n.* 60. de eisdem DD. ait: *Fateor ingenuè, me non sine nausea eorum libros evolvere*. Similiter *c.* 49. *n.* 35. loquens de Merenda, Fagnano, Baron, & Gonet, hæc habet: *Quos salva reverentia aliàs ipsis debita*, [balsamum vulneri præparat,) *NULLIUS, aut parvæ authoritatis esse, quisque videbit legendo ipsorum Opera, quæ sunt scripta tanto ardore, ut statim evidentissimè pateat, illos NON scripsisse ZELO VERITATIS, sed ex CALORE PASSIONIS VEHEMENTISSIMÆ*. Quid de hujusmodi sensibus judicabit vir prudens? At quid refert, etiamsi *ex calore passionis vehementissima*, & *non zelo veritatis* contra *gloriosam* probabilitatem præfati Authores sua Opera condidissent, (quod nefas est asserere,) num per hoc evidentes ipsorum rationes obnubilantur, aut robusta fundamenta languent? Respondeat igitur, si potest, Peguletus illorum argumentis, & *calorem passionis sua probabilitatis Zelo* mode-

deretur.

Secundum est, quod postquam Peguletus *d. cap. 1. n. 12.* adduxit illa verba Decreti Innocentiani, damnatorii 65. propositionum, videlicet, ut omnes *caveant ab omni censura, & nota, nec-non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede &c.* hæc addit: *Significant ergo illa verba implicitè, quod illæ propositiones aliàs habeant rationes graves, & dignas, ut adhuc propter illas Catholici DD. inter se controvertant, & variè opinentur. Si enim levibus rationibus moverentur ad hasce controversias, jam illa pars contradictionis, quæ rationes leves haberet, esset temeraria* (caveat Peguletus ab his ultimis particulis, quia per eas implicitè, licet inadvertenter, tanquam *temerariam* notat sententiam de sequela opinionis minus probabilis in conflictu probabilioris, cum ita *leves rationes* habeat); *& sic evidenter digna temeritatis nota, & censura: Ergo Pontifex absque fundamento prohiberet, ne taliter notarentur. Patet ergo per Pontificem nos posse variè opinari, usque dum certi non sumus in illa materia.*

Quod ante Summi Pontificis definitionem possint Doctores de aliqua controversia variè opinari, quin apud Sanctissimum Inquisitionis Tribunal deferantur, ibique puniantur, omnibus perspicuum est. Verum non ob id inferri potest, quod etiam *licitè* possint semper *variè opinari*, etiamsi non omnino *certi sint* de Veritate *in illa materia*. Hoc ultimum mensurandum est ex uniuscujusque conscientiæ dictamine, ac invincibili ignorantia. Et quia in quæstione, an sit licitum amplecti opinionem minus probabilem in conflictu, conscientia dictat

ſtat in parte affirmativa probabilius adeſſe periculum legem violandi, quam eam ſervandi, & eapropter non datur de ipſa invincibilis ignorantia, proinde non poteſt quis licitè variè opinari, ſuſtinendo contra propriam conſcientiam partem affirmativam, & multò minus illam deducere ad praxim.

Hinc patet, illud Pontificium mandatum non cenſurandi *eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur*, nullo modo ſignificare, quod *illæ propoſitiones aliàs habeant rationes graves*, cum Papa circa eas merè negativè ſe habeat: Et eo magis, quia finis talis præcepti non eſt in gratiam, & favorem illarum, ſed præcisè *ut ab iniurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque impoſterum ſe abſtineant, & ut paci, & charitati conſulatur*, ut ibidem exprimitur.

Præterea, ſi cit. verba Inn. XI. innuerent, quod propoſitiones ab eo adhuc non proſcriptæ aliàs haberent *rationes graves*, ſequeretur quod tot propoſitiones ab Alex. VIII. poſtea damnatæ, & ab aliquibus prius defenſæ, tempore Innocentii habuiſſent rationes graves: Quod eſt falſiſſimum, cum ideo damnationis ictum paſſæ fuerint, quia nullâ potiebantur ratione.

XVIII. Addo, ex præfatiuncula ejuſdem Decreti (quam Peguletus forſan non conſideravit) potius deduci, quod Summus Pontifex multas propoſitiones in eo non contentas *negativè* condemnet, ex hoc quod illas *poſitivè* non approbare ſe explicet his verbis: *Non intendens tamen Sanctitas ſua per hoc Decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati ſuæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare*. Unde ſicuti Deus ante præviſionem de-

demeritorum dicitur *negativè* aliquem reprobare per hoc quod positivè ipsum non eligit ad gloriam, ita in præsenti &c.

XIX. Proponit Peguletus *c.* 10. *n.* 1. quorundam Probabilioristarum argumentum, de quo nuper dixi *num.* 16. & sic illud efformat: *Doctrina, ex qua sequuntur plurima absurda, est abiicienda*, ut constat *lumine naturali: Sed probabilitas est doctrina, ex qua plurima absurda oriuntur*, ut patet in tot falsis propositionibus, *quas ut probabiles docent Probabilistæ*: *Ergo probabilitas est abiicienda*.

Deinde *num.* 3. dicit, se huic argumento *respondere ad hominem, contra ipsos retorquendo argumentum EVIDENTER*, itaut non possint *aliquid respondere*. En ergo ipsius argumentum: *Doctrina, ex qua sequuntur plurima absurda, est abiicienda, ut docent Adversarii*: *Sed ex doctrina Antiquorum* [quos Probabilioristæ volunt, & merito, esse contra modernam probabilitatem) *sequuntur plurima absurda: Ergo doctrina Antiquorum est abiicienda*. Putat se probare secundam propositionem adducendo *eodem c.* 10. nec-non 11. 12. 42. *&c.* plures Antiquorum errores, & respectivè laxitates, ac propositiones falsas. Postea *d. cap.* 42. *n.* 3. sic addit: *Si bene perpendatur argumentum, est adeo clarum, & evidens, ut meo judicio, Probabilioristæ convincantur omnino, & COECI erunt judicandi, si eodem imposterum utentur contra probabilitatem*. Tandem *n.* 48. *in fine cit. c.* 10. ità concludit: *Ex his patet, manifestè me probasse minorem argumenti, quod ad hominem formabam contra Adversarios, & erat, quod* ex doctrina Antiquorum sequebantur absurda. *Probavi autem illam eo modo quo faciunt Adversarii. Sicut enim ut hoc probent de probabilitate, afferunt errores, quos Probabilistæ docuerunt, ita*

hoc feci afferendo errores, quos tradidit famosissimus Glossator, Doctor adeo antiquus, & infra idem præstabo, errores aliorum Antiquorum referendo.

Tempus est, ut *cæcum* me judicet Peguletus: Sed fortasse ab hujusmodi iniuria illæsus evadam.

XX. In primis contendere nolo, an omnia illa absurda, quæ Scriptor iste tanto labore collegit ab Antiquorum libris, verè in ipsis, saltem quò ad sensum, quem detruncata verba præseferunt, inveniantur, an non; Hora mihi non superest illos evolvendi: Demus ita esse, licet universaliter ita non sit, quia non omnes propositiones ibi enumeratæ sunt falsæ.

XXI. Verum tamen est, quod si Peguletus septuaginta, aut octoginta circiter laxas, vel falsas, aut etiam erroneas respectivè propositiones a DD. antiquis, qui tot sæculorum cursu floruerunt, deprompsit, ego inveniam apud Recentiores Probabilistas, proxime elapso sæculo enatos, supra termille falsissimas propositiones, quarum plurimæ Legi naturali, ac Divinæ manifestissimè opponuntur. Apud me habeo quendam paucorum foliorum libellulum, cui titulus: *Scrutinio spirituale* (charitatis impulsu Authoris nomen reticeo]; in quo cum plusquam 60. valde laxa, & falsa Asserta, inter quæ non unum tantum ex condemnatis repererim, & hæc omnia è Probabilistarum doctrina exorta, tædio tandem affectus, & reluctante stomacho nolui amplius in legendo procedere. At deplorare non destiti detrimentum tot Virorum, ac Mulierum, ad quorum manus pervenerit hujusmodi opella vernaculâ linguâ composita, & jam octo vicibus luci data, cum potius in tenebris delitescere debuisset. Quid ergo dicendum erit de tot moder-

no-

norum Casuistarum voluminibus, quibus hisce diebus exuberant Bibliotecæ tum publicæ, cum privatæ?

XXII. Deinde quæro a Peguleto, quæ-nam sit illa Antiquorum Doctrina, ex qua sequuntur plurima absurda.

Respondet, esse tot falsas, laxas, & erroneas propositiones a se recensitas.

Sed contra. Nam hujusmodi propositiones sunt *intransitivè* ipsa-met absurda ab Antiquorum doctrina, ut prætenditur, dimanata. Ego peto, mihi assignari doctrinam illam, *ex qua*, tanquam ex radice, ortum duxere prædicta *absurda*, & propositiones.

Quod si Probabilitatem pro prima radice assignet, jam superius ostendi, meram probabilitatem, ut talem, nunquam fuisse apud Antiquos DD. bonam regulam morum, bene verò certitudinem moralem, etsi quandoque ex naturali conditione intellectus iidem fallerentur in apprehendenda, vel jndicando de hujusmodi certitudine, aut veritate, vel majori verisimilitudine. Et hinc, tanquam ex radice, oriebantur in Doctoribus Catholicis antiquis aliqui errores, aut propositiones falsæ; Sicut etiam eâdem ex causa in Probabilioristis quoque possent enasci. Cæterum apud priscos Authores usitatæ, ac precipuæ operandi regulæ erant illæ duæ, a Sacris Canonibus, Pontificibus, & PP. approbatæ, videlicet: *Tene certum*, *dimitte incertum*, & *in dubiis tutior pars est eligenda*; quibus edocemur, id in praxi vitandum, in quo adest, seu relucet periculum peccandi, & legem perrumpendi.

E contra ego assigno doctrinam, *ex qua*, tanquam ex radice *plurima absurda transitivè oriuntur*, & est mo-

dernus *modus opinandi* (de quo contra Cardenas ex Alex. VII. dixi *prac. Append. n.* 13.), nempe, probabilistica principia, & generales, ac fundamentales Probabilistarum assertiones [in meo Tractatu usque ad pulverem redactæ), a quibus ferè omnes propositiones a Summis Pontificibus postea condemnatæ dimanarunt, & aliæ innumeræ, & absque termino, deinceps faciliter orientur. Hæc est illa doctrina, ex qua Fagnanus ait, *innumeras propositiones falsas, velut ab equo Trojano egredi:* De qua Gonettus adducit *monstra probabilitatum:* De qua Jacobus a S. Dominico probavit, *Probabilitatem relaxare conscientias plurimis laxis opinionibus*: De qua Baron asserit, *per probabilitatem scelera omnia evadere licita:* De qua Concilium Nationale Galliarum affirmat, *probabilitatem esse initium damnatarum propositionum*. Ita Pegul. *cap.* 10. *n.* 1.

Videat ergo Peguletus, quod non probat suam propositionem *eo modo*, *quo faciunt Adversarii*, cum hi suam non probent solùm afferendo *errores*, *quos Probabilistæ docuerunt*, sed etiam innuendo, & adducendo probabilisticam radicem, *EX QUA plurima absurda oriuntur*: Et ideo argumentum Peguleti non solum non est *clarum*, *& evidens*, ut ejus vi *Probabilioristæ convincantur omnino*, sed est paralogismus, & nihil ad propositum concludens. Poterunt ergo imposterum Probabilioristæ suo *uti* argumento *contra probabilitatem* absque ulla *cæcitatis* nota; non verò Probabilistæ ad se tuendos uti inani Peguleti argumentatione.

XXIII. Ex his infero, quod si radix sana est, pariter & rami: Radix autem, a qua doctrinæ ramos expandebant Antiqui, [videlicet, universales regulæ in operando nuper adductæ, ac aliæ consimiles,) sanissima erat,

etsi

etsi errarent quandoque in dignoscendo, an aliqui ex ramis ex illa radice nascerentur, adeoque id non semel affirmarent, quod negandum esset, & è contra; hinc est, ramos doctrinæ Antiquorum, (nempe propositiones, & Afferta,) consequenter & eorum fructus, ut plurimùm sanos fuisse. Quia verò ex opposito radix, a qua probabilistici rami oriuntur, (hoc est Probabilistarum principia,) falsitatis veneno infecta est, eapropter omnes rami ex illa enascentes, (innumeræ scilicet propositiones,) consequenter, & fructus, eodem pariter infecti erunt veneno.

XXIV. Infero ulterius, priscos Authores excusabiles fuisse, si debitis adhibitis diligentiis ad inquirendam, & docendam veritatem, aliqua protulere absurda. Siquidem putabant id solum proferre, quod ipsis videbatur probabilius, tutum, & moraliter certum, adeoque licitum, estò fallerentur in judicando de tali probabilioritate, aut certitudine morali. Ceterum Probabilistæ videntur inexcusabiles; quia docent ut in praxi licitum id, quod cognoscunt, & fatentur minus probabile in conflictu, ac proinde probabilius falsum, quam verum.

XXV. Adducit præterea Peguletus *capp.* 13. 14. & 15. quasdam sententias benignas, defensas a D. Th., ut sic ejus authoritate *gloriosorem* reddat suam *gloriosam* probabilitatem. Verum de hoc puncto satis dixi contra Cardenas *Append.* 1. *n.* 2. etiam remissivè. Tenentur Doctores sententias illas tueri, quæ adhibito studio, sibi videntur tutæ, ac veræ, aut saltem vero-similiores in concursu, sive sint benignæ, & libertati faventes, sive non.

Et miror valde, quod Peguletus jam oblitus sit de sua

sua propria doctrina *c.* 12. *n.* 54. adducta, nempe, quod *non severitas, aut benignitas, sed veritas, & merita obiectorum movere debent viros doctos, & sapientes*. Ita, & non aliter, se gerit D. Thomas, ejusque sequaces Probabilioristæ ipsum imitantur.

XXVI. Quocirca redarguendus non est a Peguleto *c.* 12. *n.* 53. P. Mag. Natalis, quod in præfat. suæ Theol. moral. professus fuerit se sequuturum Divos Thomam, Raymundum, & Antoninum, & postea non in omnibus sententiis benignis sequatur D. Antoninum. Expressio namque in ea præf. adducta, intelligenda est salvo semper conscientiæ dictamine [excipio doctrinam Angelici Præceptoris, quæ juxta Pontificia oracula habet *VERITATEM SENTENTIARUM*, ac proinde ipsius sequela non turbat, sed format conscientias]. Cum ergo aliquando, sed rarò, Natalis existimet minus probabile, quod D. Antoninus ut probabilius docet, non potest in tali casu ejus opinionem citra culpam amplecti. Utinam sic procederent Probabilistæ.

XXVII. Hinc ruunt instantiæ Peguleti *cap.* 20. *nn.* 21. & 22. contra Baron dicentem, opiniones benignas D. Thomæ, per rationes inventas a S. Doctore, evehi ad statum certitudinis. Instat enim contra hoc dictum, (quod ipse Peguletus vocat *omnino irrationabile*]. Tum quia saltem in materia Conceptionis B. Virg. Mariæ sententia D. Thomæ non pertingit ad certitudinem, cum non ab omnibus acceptetur. Tum etiam, quia ex illo sequitur, cæteros DD. etiam Sanctos, refragantes Angelico fuisse cœcos, dum in materia certa non viderint veritatem.

Ruunt, inquam. Ad hoc enim ut aliqua sententia

tia dicatur certa moraliter, imò, etiam physicè, ac metaphysicè, non est necesse, ut ab omnibus acceptetur, nisi a Sede Apostolica determinetur. Diversitas namque intellectuum in attingentia obiectorum hoc facit, ut unus ibi veritatem (quæ est una] non agnoscat, ubi re-vera est, sed eam alibi putet se invenisse. Neque infertur ex hoc fuisse cæcos D. Bonaventuram, Scotum, & alios insignes DD. antiquos, in quibusdam refragantes Angelico; Id etenim sequebantur, quod sibi ipsis certum, saltem moraliter, aut verisimilius videbatur, quid quid in re aliter esset. Sicuti oculus non dicitur cæcus, per hoc, quod videat in undis remum ut fractum, qui verè fractus non est, cum ipsum videat, sicuti per species refractas ei repræsentatur. Ad id autem, quod dicitur de Conceptione Beatissimæ V. M. ni ***annulus Piscatoris*** labia mea obsignasset, optimè responderem. Igitur non est ***omnino irrationabile*** Baronicum dictum. Sed insuper.

XXVIII. Advertendum primò, quod non omnes Sententiæ D. Th. quas *locis citt.* enumerat Peguletus, sunt ejus, quam ipse putat, intelligentiæ: Quas inter illa est de circumstantiis valde notabiliter aggravantibus; non enim S. D. negat eas esse in confessione manifestandas, ut clarè ostendam de Pœnitentia.

Similiter ***prad. c.*** 13. ***n.*** 18. adducit Sententiam Communis Doctoris *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *a.* 4. *q.* 1. seu *in suppl. q.* 9. *a.* 1. quod *Confessio, secundum quod est pars Sacramenti, etiam potest esse in eo, qui non est contritus: Et quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet..... Unde non tenetur iterare Confessionem*. At quomodo hæc verba intelligantur ibidem

ex-

explicabo.

Præterea *ibid.* ait, quòd S. Doctor *quæstiunc. 2. ad 4.* seu *in suppl. lo. cit. a. 2. ad* 4. suo judicio sustinet, quod habens peccata reservata, & non reservata, teneatur omnia dicere Sacerdoti, qui ipsum absolvet, & de illis, de quibus non potest absolvere, ad Superiorem remittet.

Verum etsi tempore D. Thomæ, & etiam post ipsum apud plures DD. plausibilis fuerit hæc opinio, & forsan actu recepta; Nihilominus S. Doctor non affirmat Sacerdotem non habentem facultatem super reservatis; posse absolvere a non reservatis, (ut supponit Peguletus illis verbis, nempe, *qui ipsum absolvet*, quæ in D. Th. *art. cit.* non inveniuntur,] sed solum, quod *tenetur Pœnitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoscat, & de illis, de quibus non potest absolvere, ad Superiorem remittat*, ut, scilicet, Pœnitens ab eo facultatem recipiat ad hoc, ut ab inferiori Confessario de omnibus simul unicâ absolutione absolvatur. Vel intelligit D. Th. quod Pœnitens habens reservata, & sine copia Confessarii habentis facultatem super illis, si necessitate urgente debeat confiteri, tenetur manifestare Confessario inferiori nedum non reservata, sed etiam reservata, ut sic indirectè ab ipsis absolvatur, tametsi cum onere, ac intentione se præsentandi, tempore opportuno, Superiori pro directa reservatorum absolutione, sicut a me declarabitur in Tractatu speculativo, & practico de Pœnitentia.

Ulterius *ib. n.* 13. hæc habet: Divus Th. *dist.* 17. *q. 3. a. 1. q. 3. ad 3. dicit, quod ex præcepto Ecclesiæ tenetur, qui non habet mortalia, confiteri peccata venialia; subdit postea, quod secundum quosdam, nec tenetur confiteri venia-*

nialia, & sufficit pro impletione pracepti, quod se prasentet Sacerdoti, & dicat se non habere peccata mortalia. Art. 3. ejusdem quast. quastiunc. 5. ad 4. loquens de eo, qui habet solum venialia tempore adimplendi pracepti Confessionis ait: Talis debet solum venialia confiteri, ut quidam dicunt, vel etiam profiteri se a peccato mortali immunem, & Sacerdos in foro conscientiæ ei credere tenetur. *Observa Lector; in primo Textu secundum propriam mentem D. Thomas asserit, adesse obligationem confitendi venialia, & secundum quosdam sufficere solam prasentationem Sacerdoti, & Confessionem de immunitate a mortali. In secundo verò Textu loquitur vice-versa, quod scilicet, secundum quosdam, debet hic confiteri venialia: & postea absolutè, & sic secundum propriam mentem, dicit sufficere solam professionem de immunitate a peccato mortali*. Et postea *n.* 14. subdit: *Si D. Thomas hic non sequitur utramque partem, ut aequaliter probabilem, non video quomodo clarius potuisset se explicare*. Idem argumentum tangit *c.* 34. *n.* 1.

Quænam sit mens Angelici Præceptoris circa præsentem materiam de præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis, a me dilucidabitur *in de Pœnitentia*. Ex qua mea doctrina facillimè destruetur laboriosum studium Peguleti ad reddendum Sanctum Doctorem tanquam unum ex suis Probabilistis, vel ut eorum Patronum. Interim sufficiat, quod D. Thomas non *sequitur utramque partem ut sibi aequaliter probabilem*; quia in corpore Articuli primo loco citati, ubi quæstionem resolvit, (quem Textum silentio dissimulavit Peguletus,) nullam mentionem facit de opinione negativa, tametsi *in resp. ad* 3. eam ut aliqualiter probabilem adducat, sed *secundum quosdam*: Et quotiescumque utramque opinionem

tangit, semper anteponit affirmativam, (ut videre est in locis a Peguleto allatis,) quam in dicto corpore unicè tangit, probat, & sequitur. De mente igitur D. Thomæ est sola pars affirmativa, de qua eatenus *ad 4. quæstiunc. 5.* ait, *ut quidam dicunt*, quatenus sua propria opinio non erat ab omnibus propugnata. Nec loquitur vice-versa, & quasi secundum propriam mentem, per hoc quod ibidem mentionem faciens de altera opinione non addit ly *ut quidam dicunt*. Nam cum has particulas eidem opinioni applicuisset in responsione ad tertium quæstiunc. 3. necesse non erat eas repetere: imò juxta politiorem scribendi stylum, superfluæ, ac inutiles fuissent, cum easdem immediatè ante apposuisset. Divus ergo Thomas opinionem affirmativam secutus est, vel ut sibi probabiliorem, vel saltem ut unicè tutam, adeoque unice eligibilem, ut constabit ex dicendis §. 5. *n.* 20.

Tandem *n.* 15. *ejusdem cap.* refert doctrinam S. Thomæ *quæstiunc. 4. prællég. q.* sive *ex suppl. q. 6. a.* 5. videlicet, *esse probabilem eorum opinionem, qui asserunt, peccatorem non teneri statim ad confitendum, & opinionem contrariam vocat* NIMIS DURAM. *Hic accipe regulam benignam ex D. Th. Si datur aliqua opinio benigna, quæ tibi videatur* probabilis, *& contraria* nimis dura, *sequere opinionem benignam. Hæc porrò regula est una ex illis, quas statuunt Probabilistæ nostri*. Hæc Peguletus.

Vide quomodo ex singulari D. Thomæ modestia in scribendo motivum sumat hic Scriptor ad inaniter Probabilistificandum S. Doctorem. Sensus Angelici est iste: Quod opinio negans necessitatem Confessionis immediatè post culpam lethalem, est sibi probabilis, & opposita

est nimis dura, ideft tibi non probabilis, utpote absque sufficienti fundamento ad excessum in rigore. Unde ex hoc loco S. Thomæ formanda est regula hoc modo: Quotiescumque ex duabus contradictoriis opinionibus una tibi est in conflictu alterius valde probabilis, [etsi tibi non sit omni modo, ac metaphysicè certa,] & opposita est nimis dura, nempe tibi in eodem conflictu improbabilis, [quid quid sit de ipsa secundum se,] aut saltem parum probabilis, ac proinde prima est tibi longe probabilior secundâ, sequere primam, licèt faveat libertati; quia probabilioritas valde notabilis, in concursu suæ oppositæ stantis pro lege, reddit eam moraliter certam, ac sufficienter tutam. Ita lucidè ostendam infra præadducto *n.* 20. §. 5. Non sic autem docent Probabilistæ; sed eorum regula est hujusmodi: Ex duabus opinionibus, quarum una tibi videtur in concursu probabilior alterâ, potes licitè sequi minus probabilem, licet faveat libertati. Quæ regula toto cœlo distat a regula S. Thomæ.

Ex recensitis, quæ Peguletus *præf. c.* 13. minus consonè adducit ex S. Doctore, inferre quis potest, ac debet, quid sentiendum de aliis pluribus tum ex eodem D. Thoma ib. & alibi, cum ex aliis Probabilioristis ab ipso inaniter allegatis per totum suum Tractatum. Siquidem ea omnia vel violenter ad intentum suum adaptat, vel nil contra nos pugnant; Sicque oleum, & operam perdit.

XXIX. Advertendum est secundò, quod hic Probabilistarum Antiquista *eodem c.* 13. *nn.* 1. 2. confundit opiniones laxas cum benignis, & putat nos easdem promiscuè his nominibus usurpare: Ex quo contra nos exi-

ſtimat poſſe ad hominem arguere. Verum quàm notabiliter fallatur, cognoſces recolendo ſuperius a me dilucidata §. *IV. n. 9. Ver. reſp. quartò*, ubi apertiſſimè oſtendi maximam differentiam inter opinionem benignam, & laxam.

XXX. Unum ex præcipuis, quæ Peguletus conatur oſtendere in pluribus ſui Operis capp. eſt, quod voluntas poſſit ad libitum flectere intellectum ad aſſentiendum ſimul opinioni minus probabili, concurrente probabiliori. Ad quod probandum affert,

Primò *c. 3. n. 25. c. 4. nn. 4. & 15.* & *c. 5. n. 30.* doctinam Angelici Magiſtri ex 2. 2. *q. 1. a. 4.* ubi docet, quod quando obiectum non movet ſufficienter, tunc intellectus *per electionem quandam voluntariè declinat* in unam partem magis, quam in aliam; Et ſi quidem ſit cum formidine, ille aſſenſus erit *opinio*, ſi autem ſit cum certitudine abſque tali formidine, *erit Fides*. Et *eodem n. 3. d. c. 5.* addit, quod *Voluntas eſt Regina in regno Animæ* (cum politico tamen, non deſpotico, ac tyrannico imperio]; *Unde aliæ potentiæ ſunt ejus ſubditæ, & illas movet; Hinc ſcribit D. Thomas ubi ſup., quod intellectus poſſibilis non movetur* niſi a duobus, *ſcilicet a proprio obiecto quod eſt forma intelligibilis, ſcilicet quod quid eſt, ut dicitur 3. de Anima, tex. 26.* Et a voluntate, quæ movet omnes alias vires; *ut dicit Anſelmus in lib. de ſimilitudinibus c. 2.* Et poſt pauca ſubdit Peguletus: *Ecce expreſſè, quando intellectus non movetur ſufficienter ab obiecto proprio, ut accidit in omni materia obſcura, tum naturali, & ſic in opinione; tum ſupernaturali, & ſic in fide, voluntas adiuvat intellectum, ut exeat in actuale exercitium. Sed*

Reſ-

Respondeo, jam a me satis declaratum fuisse S. 3. *n.* 1. quomodo voluntas habeat movere intellectum; quapropter nil remanet superaddendum ad evacuandum (quoad hanc partem) argumentum Peguleti. Quomodo autem S. Doctor intelligatur in adducta, & consimilibus authoritatibus, constabit infra, ubi plenè, ac faciliter hoc argumentum solutum remanebit.

Secundò, ut specialiter probet, voluntatem posse physicè (quicquid sit, pro nunc, an moraliter, seu licitè] flectere intellectum, etiam in sensu composito ad partem æquè vel minus probabilem, & quod hoc fuerit in praxi apud D. Thomam, allegat nonnullos Textus S. Doctoris. Et primò *cap.* 5. *n.* 21. *& seqq.* id quod Angelicus habet *q.* 4. *de pot. a.* 2. *in cap* circa illam Scripturalem difficultatem, an scilicet opera sex dierum facta fuerint eodem tempore, itaut dierum enumeratio solùm importet plura intellectualia instantia, juxta opinionem D. Aug., vel potius fuerint plures creationis dies, distinctè correspondentes rebus creatis, ut putant alii SS. PP. Postquam Divus Thomas utramque opinionem adduxit, sic effatur: *Harum igitur expositionum prima, scilicet Augustini, est subtilior, magis ab irrisione Infidelium Scripturam defendens: Secunda verò, scilicet aliorum Sanctorum est planior, & magis verbis litteræ quantum ad superficiem consona. Quia tamen neutra earum a veritate Fidei discordat, & utrumque sensum circumstantia litteræ patitur, ideo, ut neutri harum expositionum præjudicetur, utramque opinionem sustinentes, utrinsque rationibus respondendum est.*

Ex quibus verbis putat Peguleti se posse sic arguere: *Cum cap. præcedenti probaverimus, motiva opinionum probabilium non cogere, & ideo ad ipsorum assensum requiri-*

ri imperium voluntatis ; & cum in quæstione de creatione Mundi prædictâ nihil fuerit certum, sed solùm opinabile, cum Sancti inter se dissentirent, sequitur evidenter, D.Thomam per voluntatem flexisse suum intellectum ad sustinendam utramque opinionem.

Hinc *n.* 25. duo sibi notabilia infert, dicens:

Nota primò, quod juxta D.Thomam quamvis aliqua opinio sit planior, & magis verbis Scripturæ, quantum ad superficiem consona, est sequenda quidem, NON TAMEN SOLUM, sed aliam possumus sequi, si sit subtilior: Sic etiam si aliqua opinio sit subtilior, & magis defendens ab irrisione Infidelium Fidei doctrinas, est sequenda, NON TAMEN NECESSARIO EST SOLUM IPSA TRADENDA, sed possumus, & DEBEMUS ETIAM ALIAM, si hæc sit magis consona, quoad superficiem Scripturæ. Quod si Probabilioristæ oppositum dicerent, ne credas illis, sed exemplum CLARUM D. Thomæ imitare.

Nota secundò illa verba S. Thomæ, ideo ut neutri earum explanationum præjudicetur, utramque sustinentes. *In his verbis Sanctus* Doctor *credebat præjudicari uni opinionum ex allatis, si utramque non sustinuisset. Adversarii assignent rationem hujus credulitatis, & postea negent si possint, utramque opinionem in moralibus debere sustineri a nobis, si Sancti inter se differant in moralibus. Quia autem suppono, nedum opinionibus Sanctorum, sed etiam aliis DD. esse præstandam reverentiam, & nemini esse præjudicandum* tit. de nov. oper. nunc. *Ergo si alii Doctores insignes varient inter se in Opinionibus, sive speculativis, sive moralibus, nullum damnare debemus. Et melius faciemus, si voluntas, volens omnes Magistros insignes honorare, flectat intellectum ad sustinendas diversas illorum opinio-*

niones. Et sic, quod ut debitum præstandum est Sanctis, voluntariè ob amorem præstabimus aliis Doctoribus, utique famosis.

Verùm, D. Thomæ Authoritatem nil Peguleti opinionem fovere certissimum est. Et in primis,

Non respondeo ejus argumento, sicut, ipse putat *d. c.* 5. *n.* 24. non posse aliter responderi, recurrendo, scilicet, ad hoc, quod Textus relatus, & alii consimiles sint in materia speculativa, non verò morali. Siquidem in neutra concedendum est, posse intellectum jam determinatum ad assensum circa opinionem probabiliorem, ad libitum flecti a voluntate in asensum minus probabilis, nisi supervenientibus novis rationibus, ac motivis &c. ut explicui §. 3. *n.* 1. Sicut etiam in dubiis non posse intellectum, ex vi suæ naturalis conditionis, in alterutram ex partibus contradictionis inclinare, quamvis adhibito quocumque voluntatis impulsu, sed debere necessariò suspendere assensum, ut *ibidem n.* 4. probavi. Quæ omnia iterum, & magis clarescent inferius *nn.* 31. 32. *ac* 33.

Respondeo igitur, argumentum Peguleti (sicut & alia plurima consimilia, quæ ex Authoritatibus tum Angelici, tum aliorum DD. sæpiùs ipse coacervat,) falso laborare supposito, nempe, quod Sanctus Doctor subiectivè, ac respectu sui proprii intellectus *simul* positivè adhæreat utrique opinioni, magis, & minus, vel etiam æquè probabili. Hoc enim est falsissimum, nec unquam reperitur in D. Thoma, nec totum Peguleti studium, ejusque superfluus in tot transcribendis citationibus conatus, aliter, vel tantum leviter potest suadere.

Adducit porrò nonnumquam Angelicus Præceptor tan-

tanquam Communis Doctor, opiniones oppositas circa aliquam quæstionem, & ostendit ambas esse secundum se, ac singulatim probabiles, & ex ipsis unam postea eligit de sua mente, cui adhæret, non quidem ex mero impulsu voluntatis, *qua vult potius sequi hanc* præ illa, (ut signanter loquitur arguens *d.c.5.n.26.erga finem*,] sed ex præponderantibus motivis naturaliter flectentibus intellectum suum ad illi assentiendum: In quo casu ejus intellectus non adhæret simul, ac subiectivè alteri opinioni minus ponderanti, adeoque respectu sui ipsius, impotenti ad extorquendum assensum.

Insuper, quandoque videtur ostendere S. Doctor duas oppositas opiniones esse in conflictu æqualiter probabiles; sed tunc ipse non se explicat, cui ex illis positivum assensum præbeat, cum tamen præbere, de tanto Doctore cœlitus illuminato, credendum sit. Hoc evenit in præsenti quæstione de operibus sex dierum; de qua, ob reverentiam quam specialiter semper præstat D. Augustino, cujus est fidelissimus sectator, utramque oppositam opinionem probat, [cum neutra a veritate fidei discordet,) & utriusque argumentis respondet, quin alterutram vel ambas, ex propria mente, vel aliter, se eligere ostendat. Et sic, ut unicuique præbeat motiva cognoscendi quæ-nam ex dictis opinionibus magis arrideat, *utramque sustinendo*, (non quidem positivo, ac subiectvo assensu eligendo ex mero voluntatis impulsu, sed modo explicato,) *utriusque rationibus respondet*; quasi legentibus dicat: Audistis pro & contra, quid de utraque opinione dici valeat. Ex his ergo eligite, illique assensum præbete, quæ vero-similior vobis apparet; In neutra siquidem est periculum contra Fidem errandi.

Fal-

Falsò igitur ait argumentum, quod ex allato Textu *evidenter sequitur*, *D. Thomam per voluntatem flexisse suum intellectum ad sustinendam utramque opinionem*.

Eodem modo intelligendi sunt D. Raymundus, Scotus, Richardus, aliique, post relatas inter se pugnantes opiniones de aliqua re, utentes hac, vel simili scribendi phrasi, *elige quam volueris*; vel, *qui vult tenere opinionem primam, potest respondere argumentis contrariis &c. qui vult tenere secundam opinionem, potest respondere oppositis rationibus &c.* (ex quibus verbis tantum roboris pro suo commento exhausisse putat Peguletus *capp.* 4. 5. *&* 6. *pluries*,) ideſt, non ex ſolo voluntatis arbitrio, ſed ex majori, vel minori vi, quâ motiva, & rationes unius præ alia intellectum inclinant ad aſſenſum, ipſique reddunt unam opinionem alterâ probabiliorem. Si enim quis uniformiter reſpondeat argumentis utriuſque partis, & ſimul utriuſque rationibus probativis moveatur, ſemper erit dubius, & neceſsariò remanebit ſuſpenſus, ſicut antequam utriuſque argumentis reſponderet.

Ad id quod additur ab arguente, videlicet, ipſum probaſse cap. 4. *motiva opinionum probabilium non urgere, & ideo ad ipſorum aſſenſum requiri imperium voluntatis:*

Reſpondeo, Peguletum aſserere quidem *d. c.* 4. *n.* 2. quod Maſtrius, Cardenas, Bordonus, & alii Probabiliſtæ dicunt, *voluntatem in materia probabili poſſe flectere intellectum in partem etiam minus probabilem*; quam doctrinam, ſubdit, debere eſse communem Probabiliſtis: At hoc dictum nullatenus probat ad ſuum intentum, etſi totis conetur viribus illud probare.

Primarium argumentum, quod diſcutit *ib. nn.* 13. *&*. 14. nec non *c.* 6. *n.* 44. deſumit ex D. Thoma 1. 2. *q.*

17. *a. 6. in c.* sic dicente: ***Sunt autem quadam apprehensa, qua non adeo convincunt intellectum, quin possit assentire, vel dissentire, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam; Et in talibus, assensus ipse, vel dissensus in potestate nostra est, & sub imperio cadit.*** Addit autem *d. n.* 13. Peguletus: *Ecce expressè, dantur quadam apprehensa, quibus assentire, vel dissentire non habetur precisè a natura, sed etiam* a nostra potestate, *idest voluntate: Ergo in hoc casu determinatio ad hunc, vel ad illum actum specificum dependet a nostra voluntate. Non semper tamen in talibus est in nostra potestate assentire, vel dissentire, sed solum suspendere assensum, & hoc denotant illa verba*, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere. *Porro in hoc casu ad voluntatem spectabit determinatio actus quò ad exercitium.*

Sed si arguens bene observasset verba D. Thomæ, in iis apertè invenisset responsionem ad suum argumentum, (sicut etiam ad illud superius allatum ex Textu S. Doctoris 2. 2. *q.* 1. *a.* 4.] Dicit enim ibi Angelicus Præceptor, quod circa obiecta, quæ non naturaliter, & non necessariò movent ad assensum, potest intellectus assentire, vel dissentire &c. ex imperio voluntatis, sed *propter aliquam causam*: quid clarius? Quasi dicat: In opinionibus, assensus, vel dissensus *in potestate nostra est*, non quomodocumque, & ex solo voluntatis arbitrio, sed *propter aliquam causam*, tanquam medium de novo adveniens, ac disponens intellectum magis pro una, quam altera parte, itaut assentiens, vel dissentiens ex voluntatis impulsu, possit, ac debeat assignare illam causam, seu motivum, ratione cujus potius assentiat, quam dissentiat.

Quod

Quod expressius docet D. Thomas *q.* 14. *de Verit. a.* 1. *in c.* his verbis : Intellectus quandoque *determinatur per voluntatem, quæ eligit assentire uni parti determinatè, & precisè* PROPTER ALIQUID, *quod est sufficiens ad movendum voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpotè quod videtur bonum, vel conveniens huic parti assentire.* En causam, ratione cujus intellectus tendit in unam partem potius, quàm in aliam : Utique non est merum voluntatis arbitrium, sed *ALIQUOD, quod videtur bonum, vel conveniens*, ideſt magis expediens *huic parti potius assentire*. Immediatè autem addit D. Thomas : *Et ista est dispositio credentis, ut cum aliquis credit dictis alterius hominis, quia videtur decens, vel utile. Et sic etiam movemur ad credendum dictis, in quantum nobis repromittitur, si crediderimus, præmium æternæ vitæ.* Sicque evanescunt plura, quæ congerit Peguletus *d. c.* 4.

Huc ipsum evoco, cunctosque Probabilistas, & sic eos interrogo: In opinione minus probabili, concurrente probabiliori, favente præcepto, invenitur-ne aut fingi potest hoc *aliquid bonum, & conveniens*, ratione cujus valeat quis illi *potius assentire*, quam alteri ? Quis non negabit? Ergo secundum D. Thomam nemo potest ex impulsu voluntatis tendere in opinionem minus probabilem, concurrente ac relictâ probabiliori, cum nec ipsam possit voluntas eligere, quia, videlicet, in ea non effulget illud speciale *bonum, & conveniens* præ alia.

Desinat ergo mirari Peguletus *ib. n.* 16. quod *Doctores, præcipuè Thomistæ, dum ex D. Thoma definiunt assensum opinativum*, dicentes, quod *sit acceptio unius partis cum formidine alterius*, omiserint illam particulam *voluntariè*, quam D. Thomas apposuit in illo Textu

2. 2. *q*. 1. *a*. 4. ſupra laudato. Siquidem Thomiſtæ datâ operâ omiſerunt id, quod non erat neceſſarium apponere; ad quid enim, & in quo ſenſu uſus fuerit S. Doctor prædictâ particula, [quam alibi non addit, rigoroſè definiens opinionem,) nuperrimè jam explicui; & utique non ad fovendum Peguleticum aſſumptum, ut oſtenſum eſt. Superfluè itaque defatigatur dicens, quod *impoſterùm neceſſe erit ſummo ſtudio ſcrutari*, *cur Angelicus Præceptor hujuſmodi particulam* (voluntariè) *poſuerit in definitione aſſenſus opinativi*.

Ex his omnibus facillimè ruunt illa duo Notabilia Peguleti ſuperius allegata poſt initium præſentis num. 30. Et quidem

Corruit primùm; quia fundatur in falſo ſuppoſito, ut oſtendi in reſponſione ad argumentum de operibus ſex dierum; Et eapropter quando in conflictu duarum opinionum uni adhæremus, non *debemus etiam aliam* ſubiectivè amplecti, cum nec poſſimus, ut fusè ſuis locis demonſtrativè probavi. Credendum eſt igitur Probabilioriſtis hoc docentibus [tametſi oppoſitum dictis Peguleti]; nam *exemplum D. Thomæ*, tantum ſibi ipſis *clarum*, *imitantur*.

Corruit etiam ſecundum propter eandem rationem de falſo ſuppoſito.

Verum quidem eſt id, quod ob ſpecialem reverentiam erga D. Auguſtinum præſtitit S. Thomas, (de quo ob ejus venerationem erga Sacros DD. Eminentiſſimus Cajetanus 2.2.*q*. 148. *a*. 4. *in fine comment*. affirmavit quod *intellectum omnium quodammodo ſortitus eſt*,) in re *a veritate fidei nil diſcordante*, poſſe & nos, ſi volumus, non ſemel imitari, quotieſcumque vel intellectus noſter, dubius

bius de aliqua veritate, neutri ex partibus de obiecto inter SS. DD. controverso, & *a veritate Fidei*, vel bonis moribus nullatenus discordante, per positivum assensum adhæret; vel saltem quando volumus sententiam nostram circa rem, de qua hinc inde iidem sentiunt, proferre. Cæterum quo nexu adstringimur hoc facere respectu tot Scriptorum, qui suis moralibus assertionibus documenta Christianis moribus exitiosa, & non rarò contra legem humanâm, Divinam, & naturalem apertissimè pugnantia, ut in praxi licita firmant, turmatim propugnant, usque ad sydera encomiis extollunt? Num ad evitandum eorum doctrinæ apud Christi-fideles præjudicium, [Fidelibus ipsis tam salutiferum,) debemus violentare, & contra naturæ leges *flectere intellectum ad sustinendas diversas illorum opiniones*, quas idem intellectus noster assensu suo judicat indignas? Igitur hi, qui nos præcesserunt cordati Doctores, ne tot Probabilistis præjudicium inferrent, reprobando quas hi sua ætate ut valde probabiles, & ut veras defendebant nondum a Sede Apostolica proscriptas opiniones, tenebantur eas sustinere, docere, ac venerari. Sicque oportebat eos affirmare, quod *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam incurrat*; quod *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare*; quod *Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum Concubinarii*, vulgò regalo, *dum deficiente illo nimis egrè ageret vitam &c.* quod *fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit &c.*
&

& alias multas absurdissimas theses, quas earum Patroni, (qui tunc apud ignaros vocitabantur classici, & graves, ac proinde sufficientes ad probabilizandas opiniones,] plurium pedissequorum comitante caterva, ita defendebant, ut væ illis, qui eas ut falsas, & imposterum condemnandas qualificassent. Et tamen hoc absurdum è præsenti apertissimè deducitur Peguletico documento.

Equidem nec debemus, nec possumus, ante Summi Pontificis judicium, eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur, damnare, aut aliquâ notâ censurare: bene tamen fas est, falsam dicere eam opinionem, quæ alteri oppositæ, ac præsertim probabiliori, quam veram judicamus, contradictoriè opponitur. Siquidem intellectus noster a probabiliori parte taliter determinatur, ut neutiquam positivo assensu in minus probabilem flecti valeat.

XXXI. Quod ut hic iterum dilucidetur, (præter jam dicta, præcipuè §. 3. *n.* 1.) sic arguo. Opinari de aliqua propositione, est existimare illam esse veram cum sola formidine, cum hoc sit essentiale opinioni, ut constat ex ejus definitione: Ergo inter partes contradictionis opinari de probabiliori est illam existimare veram cum formidine quod possit esse falsa, & ejus opposita possit esse vera; & è contra, opinari de minus probabili est illam existimare veram cum formidine quod possit esse falsa, ejusque contradictoria probabilior possit esse vera. Cum ergò pars probabilior magis appareat vera, quam minus probabilis, evidenter sequitur, quod si intellectus assentiens alicui opinioni ut probabiliori, posset etiam simul flecti ad subiectivum assensum erga mi-

minus probabilem, posset existimare falsam eam opinionem, quæ sibi magis apparet vera, & existimare veram, quæ sibi magis apparet falsa: quo nihil absurdius, & contra naturale rationis lumen audiri potest.

XXXII. Quod itidem intellectus, constitutus inter partes contradictionis æqualis probabilitatis, naturaliter, adeoque necessariò remaneat anceps, & suspensus, & consequenter nec ex voluntatis impulsu flecti possit in alterutram, ultra rationes allatas §. 3. *nuperrimè cit. n.* 4. sic breviter.

Suadetur, & probatur ex D. Th. *q.* 14. *de Ver. a.* 1. *in c.* ubi ait: *Quandoque intellectus noster non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem, & ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis;* nam quantum intellectus trahitur ad assensum erga unam partem ex motivis illius, tantum, & æquè distrahitur ab ejusdem assensu ex motivis partis oppositæ, ac proinde in neutram potest tendere, ac positivè inclinare, cum partes contradictionis æqualiter probabiles mutuò se impediant ad trahendum intellectum in actualem assensum, sed ipsum relinquant non liberè dubium, [non opinantem, quia opinari est uni parti contradictionis adhærere cum sola formidine,) & consequenter impotentem ad liberè se determinandum, stante tali dispositione moventium.

Unde Aristotiles 3. *met. cap.* 1. comparans intellectum dubium ob contrarietatem opinionum, & rationum homini vinculis mancipato, ait: *Impossibile enim utrif-*

utrisque procedere ad quod est ante. Ubi Communis Doctor hæc addit: *Dubitatio autem de aliqua re hoc modo se habet ad mentem, sicut vinculum corporale ad corpus, & eundem affectum demonstrat. In quantum enim aliquis dubitat, in tantum patitur aliquid simile his, qui sunt strictè ligati. Sicut enim ille, qui habet pedes ligatos, non potest in anteriora procedere secundum viam corporalem, ita ille, qui dubitat, quasi habens mentem ligatam, non potest ad anteriora procedere secundum viam speculationis.* Sicut ergo qui est corporaliter strictè ligatus, non est liber, ut ex sola voluntate a vinculis se eximat, & *in anteriora procedat secundum viam corporalem;* Ita mens dubia, quæ, juxta D. Thomam, & Philosophum, est a dubio opinionum ob rationes oppositas strictè ligata, non est libera, ut ex mero voluntatis arbitrio se eximat a vinculo dubietatis, *& in via speculationis ad anteriora procedat*, scilicet ad opinionem, quia opinari est quoddam speculari.

Adde ex Aristotile *lo. proximè cit.* quod *posterior investigatio priorum est solutio dubitatorum:* Ergo non purum arbitrium, sed veritatis *investigatio* potest intellectum solvere a vinculis dubietatis, ipsumque ad opinandum determinare.

Si dicas cum P. Spinula, voluntatem posse liberè eligere alterutram ex duobus sibi propositis obiectis æqualis bonitatis: Ergo pariter poterit intellectus alterutram ex opinionibus amplecti æqualis probabilitatis; quia sicut voluntas tendit in bonum, ita intellectus in verum.

Respondetur negando assumptum cum communiori Thomistarum sententia: Quia electio semper est de

eo

eo, quod aliquo modo videtur melius, ut colligitur tum ex Arist.3.*de anima tex.*58. tum ex D.Th.1. 2.*q.*13.*a.* 6.*ad*3.ubi ad hujusmodi difficultatem tactam in argumento, respondet his verbis: *Ad tertium dicendum, quod nihil probibet*, (scilicet voluntatem ad neutrum moveri ex duobus bonis æqualibus,) *si aliqua duo æqualia proponantur secundum unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam EMINEAT, & MAGIS flectatur voluntas in ipsum, quam in aliud*. Sicque paritas viget pro nobis, ut patet intuenti.

Ultra quod, gratis admisso assumpto, negatur illatum. Et disparitas est, quia eatenus voluntas potest ex duobus æqualibus bonis alterutrum eligere, quia sunt obiecta merè disparata, nullam inter se contradictionem habentia in ratione bonitatis. Et hoc modo concedo, quod etiam intellectus ex duabus opinionibus disparatis æqualis probabilitatis possit, quam maluerit, amplecti. Cæterum difficultas in præsenti est de duabus opinionibus æquè probabilibus contradictoriè pugnantibus, & quarum unâ existente verâ, altera necessariò debet esse falsa, & è converso; Et eapropter neutram eligere valet, sed debet necessariò remanere suspensus.

Solet hoc a nostris explicari exemplo stateræ, in cujus utraque lance si æqualia pondera ponantur, in neutram partem inclinatur; quia in quantum unum pondus trahit ad se stateram, in tantum alterum sibi æquale, illam non minus ad se trahit. Unde debet necessariò remanere suspensa, tametsi singula pondera actu gravent: Imò ex eo quod verè gravant, sed æqualiter, non possunt suum sortiri effectum, inclinandi, scilicet, ad se stateram, quem aliàs obtinerent, si seorsim in ea

ponerentur. Ita in casu nostro. Motiva æqualiter probabilia, seu quæ reddunt æqualiter probabiles duas opiniones contradictoriè oppositas, de facto singillatim gravant, adeoque trahunt ad se intellectum, ipsumque flectunt ad assensum, etiam in mutuo concursu: Et tamen neutrum eorum obtinere potest effectum, nempe ad se actu ipsum inclinandi, quia mutuò se impediunt, & se habent, ac si nullius essent virtutis, quatenus dum ab uno ex motivis intellectus trahitur, impeditur ab altero opposito, æqualiter etiam trahente. Quocirca duæ contradictoriæ opiniones æquè probabiles, licèt in conflictu non deperdant suam probabilitatem, sed urgeant intellectum ad assensum; Nihilominus quia æqualiter urgent, & æqualiter exercent propriam probabilitatem, idcirco ambæ suo privantur effectu, quem alioquin seorsim positæ haberent, & relinquunt intellectum suspensum, ac impotentem ad eliciendum erga alterutrum opinativum assensum.

Ad hæc Peguletus *cap. 6. n. 43.* suâ solitâ motus urbanitate, ait: *Mirum quantum Adversarii sibi complaceant de hoc argumento*. Et *nn. seqq.* affirmat, se *facillimè* eidem respondere. Tum ex doctrina Doctoris Angelici superiùs enucleatâ, de obiectis necessariò moventibus intellectum, & de his, in quæ *per electionem quandam voluntariè declinat*: Unde subdit Adversarius: *Hinc dicimus, intellectum in motu naturali assimilari libræ, quæ naturaliter movetur; in motu verò*, qui est in nostra potestate, *non assimilari libræ, quæ non habet motum dependentem a nostra potestate*. Tum etiam, quia *posito minimo pondere in una ex lancibus, statera movetur absque alio adminiculo; posito autem infinito obiecto in intellectu, obscurè tamen*

men, (nempe solum probabiliter cognito,] *si tamen non accedat voluntas, intellectus nullum actum elicit &c.*

Verum quod nostri Authores *sibi complaceant* de convincenti paritate,non video. Attamen ad Dei gloriam complacendum est, tanquam de manifestativo veritatis.

Nec Peguleti adductæ responsiones [jam contra P. Spinulam funditùs evacuatæ a Mercoro *Bas. Theol. mor. par.* 2. *a.* 3.] ullatenus paritatem labefactant.

Non prima: Quia ut vidimus, voluntas non habet vim flectendi intellectum in unam contradictionis partem, nisi *propter aliquam causam*, idest nisi adsit motivum sufficiens. Quod etiam docuit Philosophus 2. *de anima texx.* 154. & 157. dicens: *Opinari autem non in nobis est; necesse est enim verum vel falsum dicere.* Quapropter sicuti si pars statera, alteri parti æquilibrata, digito impelleretur deorsum, sibi relicta, iterum, & statim ad suum æquilibrium rediret; Ita si intellectus positus inter æqualia motiva, per impossibile a sola voluntate uni parti applicaretur, remoto impulsu, sine ulla mora ad suspensionem assensus rediret, quia a motivo alterius partis semper urgeretur, ne tenderet in illam, in qua voluntas veluti violenter moveret.

Nec secunda: Quia estò intellectus gaudeat libertate exercitii circa obiecta non necessariò moventia; cum adhuc possit suspendere assensum erga illa; ni tamen ex parte voluntatis adsit *aliqua causa*, scilicet speciale motivum, saltem ab extrinseco ipsius obiecti petitum, ratione cujus sit *bonum*, & *conveniens uni parti potius assentire* quam alteri, nunquam poterit intellectus flecti ad assensum, cum nequeat contemnere in altera parte vim oppositi motivi æquè ipsum flectentis; quod suffi-

cit, ut motiva opposita mutuò se impediant. Nulla ergo, quò ad præsens argumentum, est disparitas inter itateram, & intellectum.

XXXIII. Alter S. Doctoris Textus, quem sibi favere inaniter existimat Peguletus ad probandum, quod voluntas possit physicè flectere intellectum ad assentiendum in sensu composito parti minus probabili, est ex *suppl. q.* 34. *a.* 5. *ad* 3. ubi tangens illam quæstionem, an tactus physicus materiæ requiratur essentialiter in susceptione Ordinis Sacri, estò innuat partem negativam non carere fmndamento, ipse tamen amplectitur affirmativam, tanquam ex propria mente. Unde *cap.* 3. *n.* 71. subdit hic Scriptor: *In hoc Textu clarè sustinet* (D. Thomas) *unam opinionem, & aliam amplectitur, & docet TANQUAM PROPRIAM.* (nota]. *Hinc secunda ab ipso judicatur probabilior: Primam tamen etiam judicat probabilem, quia illam sustinet; minus tamen probabilem censet, quia docet oppositam TANQUAM DE SUA MENTE.* (Nota.) & *cap.* 5. *n.* 39. iterum sermonem habens de eadem quæstione, addit: *Divus ergo Thomas sustinet dictum, quod ad Sacram Ordinationem non requiratur tactus physicus, postea docet oppositum. Certè sustinet primam opinionem, & illam utique sustinet ut minus probabilem, cum doceat oppositum statim post quatuor lineas. Tum quia ipse Gonettus Probabiliorista expressè dicit, quod D. Thomas tenet primam opinionem ut minus probabilem; Secundam, ut probabiliorem Ergo voluntas D. Thomæ flectebat suum intellectum ad assensum opinionis, quam cognoscebat esse minus probabilem.* Idem quo ad sensum repetit *c.* 6. *n.* 57.

Sed Textus D. Thomæ explicandus, & intelligendus est sicut alter desumptus ex *q.* 4. *de pot. a.* 2. *in c.* de quo

quo supra *num.* 30. *Vers. Secundò ut explicet*. Et sic eadem est applicanda responsio de falso supposito. Imò non possum non obstupescere, quod Peguletus non videat responsionem, quam ipse-met innuit, dum asserit, Divum Thomam amplecti opinionem affirmativam de tactu physico materiæ in collatione Ordinis *tanquam propriam*, & *tanquam de sua mente*; negativam verò judicat minus probabilem. Si enim primam amplectitur *tanquam propriam*, & *tanquam de sua mente*; Ergo secundam sustinet, seu adducit, solùm tanquam alienam, ac de mente aliorum, non verò suâ: Ergo non utrique simul subiectivè, ac per positivum assensum adhæret, ut supponit argumentum. Insuper, si negativam approbat ut minùs probabilem, in concursu alterius de sua mente ut sibi probabilioris; ergo illam in conflictu existimat sibi improbabilem, ut apertè inferri debet, juxta ea quæ pluribus in locis supra docui: Ergo D. Thomas non amplectitur positivè, ac respectu sui intellectus, utramque opinionem ex puro voluntatis impulsu, prout arguens deducere vellet. Igitur non amplius scribat *c. 6. n.* 60. hæc verba: *Instruant me Adversarii, quo Doctor Angelicus sustinet dictum asserentium, tactum physicum non esse necessarium ad Sacram Ordinationem; & tamen doceat etiam oppositum*. Ego enim ipsum humiliter docui de suo falso supposito, & quid deinceps sentire debeat de Sancti Thomæ, aliorumque Doctorum Textibus, in quibus exscribendis tam vanè defatigatus est.

XXXIV. *Cap.* 18. *n.* 24. loquens de duobus antiquis Probabilioristis, nempe de Guillelmis, Altisiodorensi, & Parisiensi, dicit, quòd prior *fuit valde scrupulosus, sed paulominùs quam suus coætaneus*, videlicet alter Guillelmus

mus Arvernus Episcopus Parisiensis. Et *ib. n.* 49. de Guidone de Monte Rocherio ait: *Hic Doctor est valde scrupulosus*. Similiter *cap.* 12. *n.* 54. *in fine* hæc habet: *Hinc obiter deduco, quod cum aliqui erraverint in multis opinionibus rigidis, non sint magnæ auctoritatis in reliquis rigidis propositionibus; licet namque suspicari, eas sustinuisse, non ob motiva, & rationes, sed ob scrupulositatem, & rigiditatem, quæ nihil deserviunt ad veritatem opinionis.* At hæc puerilia sunt, nec responsione digna. Me potius movent ad risum, & ad recolendum cujusdam Presbyteri dictum, quod, scilicet, ideo Doctores celeberrimæ Universitatis Parisiensis sunt Probabilioristæ, quia sunt scrupulosi. O magnum, ac toto Orbe diffusum ignorantiæ malum!

XXXV. *Eodem cap.* 18. *per plures nn.* adducit non-nullos alios Probabilioristas antiquos, videlicet Henricum Gandavensem, Joannem Majorem, Corradum, Summenhart, Adrianum, Cajetanum, Armillam, Sylvestrum, Monaldum, Tabienam, Pelbartum, Angelum, Hostiensem, Panormitanum, D. Antoninum, D. Bernardinum, Baptistam de Salis, Gabrielem Biel, Rosellam, Joannem Altenstaig, & alios; Sed eis respectivè opponit aliquas exceptiones, nempe, quod *in re tam ampla, pauca scripsere*, quod *non tam luculenter ut faciunt moderni Probabilistæ*; quòd *rescripserunt ex aliis. Unde Historici sunt, non Doctores; Unde propriè sunt aves alios sequentes &c.*

Verum ut quid multa scribere circa materiam, quæ tempore prædictorum DD. nullum habebat Adversarium? Communis erat sensus & Patrum, & aliorum Doctorum de parte probabiliori eligenda in dubiis opinionum, ad evitandum periculum mortaliter peccandi. Qua-

Quapropter omnes uno ore loquebantur, uno calamo scribebant, ac tanquam axiomata infallibilia, has, vel consimiles propositiones exprimebant, videlicèt, quod *Qui se exponit periculo peccandi*, *eligendo scilicet eam partem*, *quæ sibi minus consona videtur*, *peccat*; quod *Ad rectè operandum debet unusquisque formare sibi bonam conscientiam de eo*, *quod credit*, *tanquam de probabiliori parte*; quod *In dubiis tutior pars est eligenda*, & hujusmodi. In his principiis è sacris litteris deductis, a Sanctis PP. unanimiter approbatis, omnes Antiqui conveniebant. Et hoc non erat ad modum avium aliam sequi. Siquidem hoc dictum verificatur, quando tantummodo inspicitur *quò itur*, *non quò eundum est*, ut dicebat Sæneca. Prisci Authores ibant quò eundum erat, quia id solùm sequebantur, quod *tutum*, & bene fundatum erat, relicto *non tuto*, nempe, opinione minùs probabili in conflictu. Recentiores autem Casuistæ tendunt *quò itur*, quia vix apparuerunt levissimæ ratiunculæ nullius roboris ad authenticandum Probabilismum in parte minus consona, & cognitâ ut potius falsâ, quam verâ, potius contra, quam pro lege, utpotè in conflictu alterius probabilioris contradictoriè oppositæ, ac stantis pro ipsa lege, cum statim sine ulla ponderatione, imò quin legerent Probabilioristarum solidissima fundamenta, & ineluctabilia argumenta, catervatim, ac præcipitanter, *ut oves*, *& aves* secuti sunt priores. In cujus signum, si postea, Deo inspirante, quis eorum volumina nostrorum DD. viderit, ac aliquantulùm ad ipsorum rationes citra passionem adverterit, incunctanter gradum flectit, ac se devovet Probabiliorismo.

XXXVI. Postquam Peguletus *num*. 11. *d*. *cap*. 18. retu-

esse falsam, seu potius falsam, quam veram, vel non minus veram, quam falsam, non potest talis opinio *sibi* esse recta regula operandi? Igitur non est *evidens delirium* asserere, quod ad tutam operationem necessaria sit moralis certitudo.

Quod si ex hac infallibili doctrina forsitam inferret Peguletus, Ergo qui sequitur opinionem D.Thomæ, ut moraliter certam, debet existimare ut falsam opinionem oppositam, a Scoto, Alensi &c. propugnatam, quod non videtur dicendum.

Responsum dedi *sup. n.* 7. & ibi remissivè contra Cardenas, concedendo illatum, non ut incongruum, sed ut necessarium in opinionum concursu operanti: Quæ loca recolantur.

XXXVII. Specialiter ex Probabiliorista Sylvestro affert Peguletus *ib. n.*18.*& seq.* quoddam testimonium non multùm ipsum convincens, desumptum ex illius Summa Morali *V.Opinio* 1. Sed non vidit clarissima verba ejusdem *V. Dubium q.* 2. sic dicentis: *Si tamen probabilitas hinc inde esset aqualis, tutior eligenda est NECESSARIO, quando ex electione alterius immineret periculum peccati mortalis; quia tunc verum est illud Ecclesiastici* 3. *Amans periculum peribit in illo.*

Non dissimiliter circa Cajetanum procedit *d. cap. n.* 16. Nam de ipso dicit, quod *paucissima scripsit, & satis confusè* in hac materia; de qua paucas lineas ex integro textu detruncatas, adducit absque ulla citatione loci ejusdem Eminentissimi Authoris, ne forsan a legentibus videatur. Si posuisset ex ipsius Summula *V. Opinio* 2. quæ sequuntur, non ita scripsisset. *Opinione uti* (ait ibi Cajet.) *ut regula morum interiorum, & exteriorum est quan-*

XXXVIII. Ex dictis inferri potest, an multa fides adhibenda sit tot Authoritatibus Antiquorum, quas truncatim allegat hic Scriptor. Unum sufficiat, quod etiam Doctores illos manifestè militantes contra Probabilismum, nempe, Alex. de Ales, D. Bonaventuram, D. Raimundum, Durandum, D. Antoninum, Scotum, Gersonem, aliosque plurimos nititur [*capp.* 18. *&* 22.) a numero Probabilioristarum subtrahere, ex hoc quod aliquando utantur his dictionibus *probabile*, *probabiliter*, & hujusmodi; vel quia secuti sunt quandoque sententias benignas, vel ex alio consimili levissimo, & inani motivo ex supra rejectis. Idem præstat proportionabiliter in favorem opinionis æquè probabilis libertati faventis *in cap.* 27. *& seq.* nec non pro minus probabili *capp.* 33. 34. *&* 35. Satis puto omnia ista evanescere, si recolantur a me pluries dicta.

XXXIX. Ulteriùs procedit Peguletus, dum *capp.* 24. & 48. studet Sacrarum Scripturarum, Sanctorum PP., Canonum, & Summorum Pontificum Authoritates taliter interpretari, ut ipsæ nihil nobis favere videantur. Et *cap.* 19. *n.* 20. ait: Nos *frustra* Patres antiquos in nostrum favorem afferre.

Nolo in ejus glossis reiiciendis immorari, ne ultra mensuram crescat præsens Appendix. Adeat Lector Doctores Probabilioristas a me laudatos §. 2. *n.* 3. *in princ.* a quibus non minus evidentia, quam copiosa referuntur prædictorum testimonia.

XL. Præterire tamen nequeo id, quod habet *d. cap.* 48. *nn.* 28. *&* 29. ubi, ut respondeat P. Natali Alexand. alleganti Textum Divi Augustini *lib.* 1. *de Bapt. c.* 3. dicentis, quod si *dubium haberet*, *non illic* [nempe apud

Donatistas] *rectè accipi, quod in Catholica rectè accipi certum haberet, GRAVITER PECCARET, in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quod CERTIS INCERTA præponeret*. Post quæ, & alia quædam subdit Natalis: *Cum itaque minus probabilis opinio, quæ libertati, & cupiditati favet contra legem, in concursu probabilioris, quæ legi favet contra libertatem, & cupiditatem, INCERTA sit, & oppositi formidine quatiatur, ne fortè sit illicitum, quod ipsa licere docet, GRAVITER PECCAT qui minus probabilem probabiliori præponit, & secundum illam agit, quia in rebus ad salutem animæ pertinentibus CERTIS INCERTA PRÆPONIT. Ut, inquam, Peguletus respondeat, ita scribit.*

Fateor hunc textum esse præcipuum ex plurimis, quibus Probabilioristæ nituntur oppugnare Probabilitatem, & prima facie videtur clarè pro ipsis decidere, ut bona fide credidit Vendrochius, & mihi olim apparebat, [& utinam semper ipsi apparuisset,) *sed rem altius scrutanti obvia, & clara responsio occurrit*. Audiamus modo claram responsionem rem *altiùs* scrutantis. *Igitur quæro a P. Alexandr., an si quis probabilius judicet, rectè accipi Baptismum apud Hæreticos, hic peccaret accipiendo ab Hæreticis, an non? Si primum, quid mirum si dicamus nos, in hoc casu, peccaturum sequendo opinionem minus probabilem?* (Quando-nam quæso mirum fuit, peccaturum eum, qui sequitur opinionem sibi minus probabilem in conflictu, semel admisso, quod peccet sequens probabiliorem circa idem obiectum?) *Nos dicimus, in iis valere minorem probabilitatem, in quibus probabilioritas ratione sui licet*. Hoc opus, hic labor est: Dicit, sed non probat, nec ullibi probabit, nec Probabilistarum ullus in sæcula proba-

babit. Insuper considera ineptam probationem suæ consequentiæ hoc pacto: *In quibus probabilioritas ratione sui licet, valet etiam minor probabilitas: Ergo si quis peccat sequend opinionem probabiliorem, peccat etiam, qui sequitur minus probilem.* Debebat priùs adducere secundum membrum sui dilemmatis, & tunc ipsi applicare hanc probationem, in falso alias principio fundatam. Quapropter hic posuit probationem, priusquam poneret propositionem probandam.] *Et in quibus non licet probabilioritas, nec valet minor probabilitas.* (Ita prius probandum erat primum dilemmatis membrum, etsi nihil similiter valeat hæc probatio.) *Secundum nequit dici, quia ex D.Thoma* (scilicet quodl. 3. a. 10. in c.) *tenere opinionem contra id, quod publicè tenet Ecclesia, non potest ab erroris vitio excusari. Cum ergo Ecclesia semper prohibuerit, & damnaverit receptionem Baptismi ab Hæreticis, erroneum est tenere oppositum: Ergo in materia de receptione Baptismi ab Hæreticis, qui incerta, & sic & probabiliora, & minus probabilia certis præponit,* [vide quomodo fingat supponere, quod omnia probabiliora sint incerta, volens distinguere inter certitudinem moralem, & metaphysicam, de quibus iterum atque iterum superius dixi, & similiter dicam in 5.§.) *peccat mortaliter, nec potest ab erroris vitio excusari, quia in re clara tenetur scire veritatem; Unde ipsa incertitudo peccatum est. In re verò obscura, incertitudo non est peccatum, quia impossibile est haberi scientiam;* (En quomodo denuo putat non dari aliam certitudinem ad rectè operandum, nisi metaphysicam, & spectantem ad scientiam; [*& sic in re obscura, Probabilioritas, & minor Probabilitas salvant.* Væ Peguleto, si fidens minori probabilitati contra legem, etsi non sibi omnino ac metaphysicè claram, & certam; sed solum moraliter, contra

tra eandem legem operatus est. Non salvabit eum procul-dubio minor Probabilitas, cognita ut talis in concursu: Nam *sermo* (nempe lex Divina, non Probabilitas,] *quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die*, inquit Redemptor noster *Jo.* 12.48 Non ergo salvat minor Probabilitas, quæ potius militat contra, quam pro lege judicante, ac salvante, vel damnante.

Placuit per extensum verba Peguleti referre intermixtis aliquibus observationibus, ut manifestiùs appareat futilitas ejus responsionis, ac robur impugnationis, quam sic præsto.

In primis Peguletus non respondet clarissimæ Authoritati D. Augustini, ut patet intuenti; Solùm insudat [sed vanè) ut reiiciat doctrinam deductionis, seu consequentiæ, quam ex illa optimè infert Natalis in ly *Cum itaque &c.* Divus enim Augustinus affirmat, eum qui *certum haberet* Sacramentum Baptismi in Ecclesia Catholica rectè accipi, & tamen Baptisma susciperet apud Donatistas, non obstante, quod *dubium haberet non illic rectè accipi, graviter peccaturum; eo solo*, [ita dictum probat,) *quod in rebus ad salutem animæ pertinentibus, certis incerta præponeret*: Quod idem est ac dicere, eum graviter peccaturum, qui *probabilius existimans* licitum non esse accipere Baptisma de manibus Hæreticorum, *minus* verò *probabiliter* esse licitum, ac proinde *dubitans*, ideft habens moralem formidinem, *non rectè accipi* Baptismum apud Donatistas, adhuc tamen ab ipsis tale reciperet Sacramentum. Ex quo assumpto, ejusque probatione, clarè infert Natalis veritatem nostræ Doctrinæ, videlicet, numquam esse licitum eligere in praxi opinionem minus probabilem stantem pro libertate, concurrente op-

posita probabiliori, indemnitati legis favente, quando agitur de peccato mortali, nempe, *in rebus ad salutem animæ pertinentibus*, quia tunc certis incerta præponuntut. Contra Natalem arma sumit Peguletus, nec de S. Augustino amplius loquitur. Quapropter ejus assertionem videtur relinquere intactam, ac per consequens implicitè fatetur, Sanctum Doctorem stare pro nobis. Cur ergo *cap.* 49. *n.* 36. tam animosè dicit, *Nullum Sanctum Patrem esse* pro nostra Sententia, & hoc ab ipso fuisse *apertè* demonstratum?

Sed ut verum fatear, Peguletus videtur sua responsione confutare velle, & Natalem, & Divum Augustinum. Considera hæc ejus verba: *In materia de receptione Baptismi ab Hæreticis, qui incerta, & sic & probabiliora, & minus probabilia certis præponit, peccat mortaliter, nec potest ab erroris vitio excusari*: ac si apertius dicat: Per vos o Augustine, ac Natalis, *Qui certis incerta præponit graviter peccat:* Ergo per vos, nedum *peccat mortaliter*, qui *in materia de receptione baptismi minus probabilia* sequitur, verum etiam, qui *probabiliora*, idest partem magis probabilem, cum tam probabiliora, quam minus probabilia sint *incerta:* (Hic iterum vide allucinationem Peguleti, non distinguentis inter certitudinem moralem, & metaphysicam:] Vel si non peccat quis probabiliora sequendo, nec peccabit minus probabilia eligendo. En quomodo hic discursus tam militat contra D. Augustinum, quam adversus Natalem, ac proinde supponit arguens ambos esse conformes in eadem Sententia. Non igitur dicat, D. Augustinum non favere Probabilioristis.

Deinde hypotesis Peguleti, cum sit opposita casui

seu

Primam variis conatur declinare subterfugiis, (pluribus sui Operis capp. ut videre est in ejus Indice rerum *lit. D. Verbo In dubiis*,] a me tamen totaliter occlusis §.3. *n. 6. & seqq.*

De secunda verò, quæ ex Augustino habetur *c. si quis autem*, *dist.7. de pœnit.* asserit *cap.* 48. *n.29.* se *plenè* illi satisfecisse *cap.* 3. *n.* 85. At hic porrò nil satisfacit: Nam dicit, verba illa D. Augustini esse intelligenda *in determinata materia de remissione peccatorum*, quia S. Doctor loquebatur *ibi de eo, qui se reducit in fine vitæ ad faciendam pœnitentiam peccatorum*. Et post pauca subdit: *Igitur patet, quod hic agitur de mediis ad salutem necessariis; in tali autem materia procul-dubio certitudo est tenenda, & opiniones relinquendæ.*

Verum hæcPeguletica responsio suum oppugnat Authorem. Sumus enim in casu, quod quando agitur de peccato mortali vitando, *agitur de medio ad salutem necessario*. Ergo illud dictum Augustini, & Juris Pontificii universaliter tenet; ac proinde tuta, & moraliter *certa tenenda* sunt in opinionum conflictu, eligendo probabiliorem, quæ favet legi, ac sola tuta est, & moraliter certa dignoscitur, *dimittenda verò incerta* per esclusionem opinionis minus probabilis libertati consonæ, quæ in concursu tuta non est, nec aliquo modo certa, aut immunis a periculo lethaliter peccandi, sed omnino incerta, dubia, & potius falsa quam vera, ut ex supradictis liquet.

Præterea: Esto D. Aug. *lo. cit.* materiæ determinatæ applicaverit præfatum dictum, eo tamen usus fuit ut principio universali, ac probativo; per consequens non est coarctandum ad limites tantùm conclusionis proba-

 tæ,

tæ, ſed ad alias materias ampliandum, & eapropter univerſaliter accipiendum. Quod ne gratis dictum videatur, ponderanda ſunt verba S. Doctoris, qui poſtquam dixerat, *agens pœnitentiam cum ſanus eſt, & poſtea benè vivens, ſecurus hinc exit: Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus ſit ſecurus, hinc exit, ego non ſum ſecurus*. Et poſtea ſibi obiiciens, *ſed unde ſcis, ne forte Deus dimittat tibi*. (Videlicet differendo pœnitentiam ad finem vitæ) reſpondet: *Verum dicis: illud ſcio*, (quod ſcilicet agens pœnitentiam cum ſanus eſt, poſtea bene vivens, ſecurus hinc exit) *hoc neſcio: Nam ideo, do tibi pœnitentiam* in fine vitæ *quia neſciò; nam ſi ſcirem* omnino certo *nihil tibi prodeſſe, non tibi darem*. Inde poſt pauca ſubdit: *Ergo tene certum, dimitte incertum*. Quaſi ad probandum non eſſe differendam pœnitentiam ad finem vitæ, dicat: Certum eſt tenendum, ac incertum dimittendum; Sed certum eſt quod agens pœnitentiam, cum ſanus eſt, & poſtea bene vivens ſecurus hinc exit; incertum verò, an ſecurum exeat quem ad ultimum vitæ pœnitet, ac Deo reconciliatur: Ergo &c.

XLII. Probabilioriſticam doctrinam eſſe ad mentem Sanctorum Patrum habetur ex Alex. VII. in præfatione primi Decreti condemnativi 28. propoſitionum; cum ibi Summus Pontifex dicat, *MODUS OPINANDI IRREPSIT*, [nempe, doctrina, regulæ, ac principia Probabiliſtarum noviter adinventa,) *ALIENUS OMNINO A SANCTORUM PP. DOCTRINA*: Ergo, è contra, (debet evidenter inferri,] probabilioriſticæ regulæ, ac documenta, contradictoriè oppoſita modo opinandi Probabiliſtarum, ſunt ad mentem Sanctorum Patrum. Non ergo Peguletus dicat, *nullum Sanctum Patrem* ſtare pro no-

nobis.

XLIII. Præterea, malè scribit idem Peguletus, *cap.* 49. *nn.* 42. *&* 43. videlicèt, nullum antiquum Concilium, præsertim Generale, favere nostræ Sententiæ; quamvis hoc concedat de Concilio Nationali totius Cleri Gallicani, anno 1700. in Palatio San-Germano Parisiis celebrato.

At apertè favet Concilium Viennense, in quo Clemens V. de duabus opinionibus circa quandam materiam, positivè hinc inde controversam, hæc ait: *Opinionem secundam, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum Theologiæ magis consonam, & concordem, SACRO APPROBANTE CONCILIO, duximus eligendam.* Clementina *Fides*, de Sum. Trin. & fide Cathol. §. *fin.*

XLIV. Ut Peguletus vim declinet hujus Authoritatis, quam ex d. Concilio Gallicano adducit *cap.* 33. *n.* 2. ita *n.*3.*seq.* respondet. *Non existimo firmum argumentum illud: Concilium Viennense secutum est in materia sacra speculativa opinionem probabiliorem. Ergo & nos debemus uti opinione probabiliori, maximè quò ad mores. Nam lata est disparitas inter Concilium OEcumenicum, & Nos. Concilium OEcumenicum est infallibile, nec potest errare in doctrina: Ergo si docet aliquid, debet docere verum. E contra, nos aliquando possumus errare absque peccato ..... Ergo si nos licitè errare possumus aliquando, quando errare licebit, licebit etiam sequi regulam, quæ possit esse falsa. Tum quia in nobis datur ignorantia invincibilis juris naturæ*, & operantes ex ipsa excusantur a peccato, *ex propos.* 2. *damnata ab Alex. Octavo. E contra in Concilio non datur ignorantia invincibilis juris, nec ipsum operatur ex tali ignorantia. Ergo regula Concilii debet esse certa, & infallibilis, non*

sic regula hominum privatorum. Praeterea, in materia factorum cum Ecclesia possit errare, potest tunc sequi regulam non-nunquam, quæ sæpe fallat, & fallitur, *ut clarè dicitur in C.* a nobis 2. de sent. excom. *Ergo etiam in materiis, in quibus licitè errare nos possumus, licitè sequemur regulam, quæ fallat, & fallatur; & sic opinionem minus probabilem. Tum quia ut Ecclesia licitè recipiat Sanctos DD. ad legendum opera eorum, & ad expositionem Sacræ Scripturæ, sufficit juxta Turrecremata in C.* Sancta 15. *dist. q. 3. fin.* quod talia Opuscula habeant probabilitatem veritatis. *Si isti expositores habent solum* probabilitatem veritatis, *utique istæ expositiones possunt esse falsæ; adhuc tamen si in praxi utamur illis expositionibus fallibilibus, nemo nos jure damnare poterit.* Hoc modo existimat Peguletus evacuasse argumentum Illustrissimi Cleri Gallicani, fundatum in authoritate prælaudata Concilii Viennensis.

Pluries equidem notavi, Peguletum in suo construendo Probabilitatis Tractatu nimis festinanter scripsisse: Si enim maturiori consilio omnia expendisset, multa silentio dicasset, & arctius edidisset volumen. Cum primum ejus Opus in Gallias devenerit, nescio quid de ipso, ac præsertim de hac tam levi responsione animo ferent illius Regni Sapientissimi Præsules, ac Doctores. Condonet Author [cujus meritum aliàs veneror] hanc qualemcumque pro tuenda Veritate, & animarum salute promovenda, in coarguendo libertatem.

Quis unquam ex imperitioribus sic quæso argueret: *Concilium OEcumenicum est infallibile, nec potest errare in doctrina, adeoque si docet aliquid, debet docere verum:* Er-

go quia *nos possumus aliquando* inculpabiliter *errare*, quando, videlicet debitis præstitis diligentiis ad inquirendam veritatem, & secundum illam operandum, vero-similiorem attingere non valemus, *licebit nobis*, quando agitur de peccato mortali, ac Lege perrumpenda, *sequi regulam*, non solùm *quæ possit esse falsa*, verùm & quam dignoscimus minus vero-similiorem, & potius falsam quam veram, alterâ voluntariè relictâ contradictoriè oppositâ, a nobis cognitâ ut vero-similiori, & potius verâ, quam falsâ? Quia Concilium OEcumenicum est infallibile, nec potest errare, tam cautè procedit, ut nonnisi *opinionem PROBABILIOREM, & dictis Sanctorum, ac Doctorum Theologiæ MAGIS consonam, & concordem* ducat eligendam: Ergo nobis licebit, quia possumus errare, ac falli, tam incautè procedere, ut minus probabilia, in materia morum, & ex quibus *Fidelium salus pendet*, advertenter eligamus, probabilioribus, & dictis Sanctorum magis consonis, & concordibus, absque ulla necessitate relictis? Egregium sanè arguendi modum! Et tamen sumus in casu, juxta controversiam quam in præsenti agitamus; ut constat ex supra repetitis. Sic igitur formanda est argumentatio: *Concilium OEcumenicum non potest errare*, & nihilominus inter oppositas Doctorum opiniones, circa materiam sacram speculativam *probabiliorem ducit eligendam*, ita ei Spiritu-Sancto dictante, ne idem Concilium erret, aut possit errare: Ergo a fortiori nos, quia *possumus errare*, tenemur, ad evitandum errorem, & peccatum mortale, & ne legem perrumpamus, in praxi probabiliorem sequi, relictis minus probabilibus, in quibus cognoscimus probabilius nos posse errare, ac peccare potius, quam legem servatu-

re.

Eodem modo discurrendum est de aliis consimilibus paulò ante a Peguleto adductis, ad prosternendum, ut putat, *firmum argumentum* Concilii Gallicani, videlicet: *In Concilio non datur ignorantia invincibilis juris, nec ipsum ex tali ignorantia operatur*, in nobis autem potest dari quandoque [eo modo quo dari potest, de quo non disputamus) *ignorantia invincibilis juris naturæ, & operantes ex ipsa excusantur a peccato*: *Ergo regula Concilii debet esse certa, & infallibilis, non sic regula hominum privatorum*, ita ut hi ad libitum valeant è duabus regulis ad morum praxim spectantibus, eam inculpabiliter eligere, quam probabilius cognoscunt contra, quam pro legis observantiâ militare, alterâ relictâ, quam vident potius, & probabilius eos a peccato, ac legis transgressione reddere immunes? Erit-ne in hujusmodi eventu hæc operandi praxis ignorantiâ invincibili fulcitâ? Præterea: *In materia factorum cum Ecclesia possit errare, potest tunc sequi regulam nonnunquam, quæ fallat, & fallatur:* Ergo & nos in materiis nobis metaphysicè incertis, de quibus tamen habemus moralem certitudinem in probabiliori de ipsis opinione, possumus inculpabiliter sequi regulam, quam probabilius cognoscimus posse fallere, ac falli, nempe, *opinionem minus probabilem*, aliâ regulâ voluntariè relictâ, de qua nobis certò moraliter constat, non posse moraliter fallere, aut falli, opinione, scilicet, in conflictu probabiliori? Tandem: Ut licitè recipiantur legendæ scripturales Doctorum Expositiones, sufficit ut habeant probabilitatem veritatis, & consequenter non implicat quod possit eis secundum se subesse falsum; non enim semper veritas ipsa in se po-

poteſt ab omnibus, & in omnibus attingi: Ergo ſi darentur duæ inter ſe oppoſitæ doctrinæ, ac expoſitiones, *nemo nos jure damnare poſſet*, ſi eam in praxi, ex mero voluntatis arbitrio, eligeremus quæ nobis magis appareret falſa, quam vera, alterâ rejectâ, cognitâ ut veritati magis conformi, quam falſitati? Quis unquam inter Scholaſticos Novitios his uteretur argumentis? Et tamen ita in re argumentantur cum Peguleto, qui ſuſtinent ut licitam, ſequelam opinionis, cognitæ ut minus probabilis, & faventis libertati, concurrente, ac relictâ contradictoriè oppoſitâ, cognitâ ut probabiliori, ac ſtante pro Lege.

XLV. Conſideret ergo Peguletus ſuarum rationum, ac reſponſionum infirmitatem: Et cum ipſe *cap.* 3. *n.* 1.8 promiſerit, ſe non amplius propriam opinionem, quam ibi agitat, propugnaturum, quando quis *inveniet rationem claram, qua videat, rationum fundamenta, quibus fulcitur ſua Sententia, eſſe ſolum apparenter ſolida*, enixè ipſum obſecro, ut pollicitis addat fidem; ac eapropter curet, ſi adhuc vivit, ut novum imprimat de probabilioritate Tractatum, noſtram impoſterum tuendo Sententiam, ſuamque retractando, cum jam fulgeant tot *rationes claræ, quibus videt rationum fundamenta, quibus fulcitur ſua*, nec eſſe *apparenter ſolida*, ſed valde infirma, debilia, & ruinoſa.

XLVI. Nullo modo poſſe concordare, ait Peguletus *d. c.* 33. *n.* 4. cum Illuſtriſſimo Clero Gallicano, dicente, Probabilitatem eſſe *inventum poſtremi hujus Sæculi, & initium, & caput propoſitionum damnatarum* ab eodem. Rationem ſuæ diſcordantiæ aſſignat; quia, ſcilicet, plures ex illis propoſitionibus a S. Sede, ac a prædicto

Cle-

Clero damnatæ, ab Antiquis traditæ fuerunt. Quocirca Alex. VII. in suo Decreto reprobante octo, ac viginti propositiones, asserit, *partim antiquatas iterum suscitari*. Ex quo evidenter sequitur, [subdit Peguletus,) *vel quod Probabilitas* sit antiqua, *vel non sit* initium, & caput damnatarum propositionum; *quod utrumque est contra Illustrissimum Clerum*.

At neutrum infertur ex Asserto Cleri Gallicani. Non enim dicit prætatum Nationale Concilium, quod *Probabilitas* secundum se sit inventum hujus Sæculi, quia etiam Antiqui non-nulla ut tantum probabilia docuere, de quibus majorem certitudinem habere non poterant; sed quod *nova* sit, & *inaudita* sententia, asserens esse licitum sequi opinionem minus probabilem in conflictu, juxta terminos, & statum præsentis controversiæ: Et hoc est verissimum, ut fusiùs ostendi *nn.* præcedentibus hujus Appendicis. Quapropter etsi quidam ex priscis Doctoribus protulerint aliquas falsas assertiones inter proscriptas ab Alex. VII. eas tamen docuerunt ut sibi probabiliores, licèt erraverint in tuendo falso pro vero, non quidem ex falsitate principii operationum directivi, sed ex naturali imperfectione intellectus, non valentis quandoque attingere veritatem, ubi verè invenitur. Cæterum Probabilistæ multas propugnarunt falsas propositiones, ortas ut plurimùm ex illo falso principio, quod in conflictu opinionum licitum sit eam amplecti, quæ subiectivè apparet minus probabilis, adeoque non tuta, voluntariè omissa probabiliori, ac tuta. A quo principio ni gradum retrahant Probabilistæ in alia plura faciliter incident Asserta moralia, per Sedem Apostolicam excomunicationis mucrone postea ferienda.

Non

Non ergo *moderna probabilitas* est antiqua, sed *nova*, *inaudita*, *& postremo Saeculo prodita*.

XLVII. Dices cum Peguleto *cap*.39.*n*.10.*& seqq*. quod si Probabilitas esset reiicienda ex hoc quod nova est, sequeretur maximum absurdum, quod scilicet Doctrina S. Thomæ reiicienda foret, cum ipse *sententias novas in Theologicis* protulerit. Legatur enim D. Antoninus 3. *p*. *Hist*. *tit*. 18. *c*. 10. *ante* §. 1. *&* §. 2. nec-non *tit*. 23. *c*. 7. §. 5. & 10. & manifestè constabit, quod *Sanctus Thomas* [sic ait Peguletus *n*. 15. *d*. *c*. 39.] *NOVOS confecit articulos*, *NOVUM excogitavit modum determinandi*, *NOVAS in determinandis quaestionibus invenit rationes*, *itaut Deus ad NOVA dogmata NOVI luminis radiis ipsum illustraverit*, *ut ipse limpidè tot NOVITATES proferret*. *Hoc reservatum erat Angelico Doctori*, *ut sua sententiarum NOVITATE patefaceret in Ecclesia NOVOS articulos*, *NOVAS Sententias*, *NOVAS veritates Sacræ Scripturæ*, *& ALIIS OMNIBUS ANTIQUIORIBUS DOCTORIBUS OCCULTATUM*. *Observa Lector*, *quot*, *& quantas NOVITATES invenerit S. Thomas pro sua Doctrina;* de qua cum nequeat dici reiiciendam esse, neque hoc poterit affirmari de *nova probabilitate*.

Respondeo, *novitates* omnes D. Th. esse conformes antiquis principiis, ac Doctrinæ sacrarum Scripturarum, Sanctorum PP., & Ecclesiæ Doctorum; præcipuè D. Augustini, itaut ejus Anima *migrasse in Thomam* videatur; (ut juxtà Pythagoræ somnium, *ex communi doctissimorum Virorum adagio*, loquitur Syxtus Senensis *lib*. 4. *Bibliot*. *V*. *Thomas Aquin*.) Et quem Angelicus Præceptor in omnibus secutus fuit, *pressis semper vestigiis*, ut ait Antoninus Massouliè, *Præf*. *ad To*. 1. *de Div*. *Mot*. Et cujus *ve-*

 sti-

ſtigia ſequens, Eccleſiam Doctrinis, & ſcientiis quamplurimis adornavit, prout expreſsè fatetur Urbanus V. Pont. Max. in Bulla incip. *Laudabilis Deus*, anno 1370. edita, & Toloſatibus directâ; In qua etiam habet ſequentia verba : *Volumus inſuper, & tenore præſentium vobis INIUNGIMUS, ut dicti B. Thomæ Doctrinam, tanquam VERIDICAM, & CATHOLICAM ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliare* .

XLVIII. Hac de cauſa Alex. VII. reſcribens Univerſitati Lovanienſi, quæ ſibi in ſpeciales Magiſtros elegerat SS. Auguſtinum, ac Thomam, commendans eorum Zelum, ſic fuit effatus: *Præclariſſimorum Eccleſiæ Doctorum Auguſtini, & Thomæ Aquinatis INCONCUSSA, TUTISSIMAQUE DOGMATA ſequi ſemper, ac impenſè venerari ſe velle aſſeverent; quorum profectò Sanctorum Virorum penes Catholicos ingentia, & omnem laudem ſupergreſſa nomina, novi præconii commendatione planè non egent* .

Clemens etiam VIII. ad Neapolitanos anno 1603. ſcribens, ſic ait: *Piè prudenterque cogitatis de novo Civitatis Patrono adſciſcendo cive veſtro DIVINÆ VOLUNTATIS INTERPRETE, Vitæ ſanctitate, & miraculis claro, D. Thoma Aquinate; cujus Doctrinæ tantum fuit tributum, ut Chriſtianæ eruditionis ſuæ Divinum etiam illud habeat teſtimonium: BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA* . Hoc eſt *NOVUM*, nemini conceſſum, ac ter Thomæ Angelico a Chriſto donatum, videlicèt Pariſiis, Neapoli, ac Urbeveteri, ut, præter alios Scriptores refert in ejus vita Petrus Ribadeneira Societatis Jeſu. Præterea idem Summus Pontifex in aliis litteris incip. *Sicut Angeli*, eodem anno datis, ait: *Hic ſiquidem honor virtutibus ejus cum ADMIRABILI doctrina coniunctis, optimo*

mo jure debetur, & *Doctrinæ quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore*, *IN OMNI FERE disciplinarum genere SINGULARI ORDINE*, [en aliam ex novitiatibus D. Thomæ,] *ac MIRA perspicuitate*, *SINE ULLO PRORSUS ERRORE* (o quam *NOVUM!*] *conscripsit*: *In quibus conscribendis interdum Sanctos Apostolos Petrum*, & *Paulum colloquentes*, *locosque illi quosdam*, *Dei jussu enarrantes habuit*; & *quos deinde conscriptos*, *expressa Christi Domini voce COMPROBATOS audivit*. Et ad Pro-Regem Neapolitanum ita scribit: *Nos ipsi Angelico huic Doctori*, & *nostro*, & *TOTIUS ECCLESIÆ NOMINE PLURIMUM DEBEMUS*.

Unde non mirum, tametsi *NOVUM*, quod Innoc. VI. in quadam de laudibus Divi Thomæ Oratione, incipiente, *Ecce plusquam Salomon hic*, sequens de Sancto Thoma protulerit Elogium. *Hujus Doctoris doctrina* (*excepta Canonica*) *habet PRÆ CÆTERIS* (vide maximam *NOVITATEM*, similem alteri a D. Antonino superiùs laudatæ, scilicet, *ALIIS OMNIBUS ANTIQUIORIBUS DOCTORIBUS OCCULTATUM*,) *proprietatem verborum*, *modum dicendorum*, *VERITATEM SENTENTIARUM*, *itaut nunquam qui eam tenuit*, *inveniatur a VERITATIS tramite deviaße*, & *qui eam impugnaverit*, *SEMPER FUERIT DE VERITATE SUSPECTUS*. Videatur Lambertus de Monte, in libris de anima in principio, impressis Coloniæ 1494. ubi fatetur, ea verba ex suo Authographo exscripsisse. Videatur etiam Breviarium Ord. Præd. in Oct. S. Thomæ.

Non mirum etiam, etsi NOVUM, quod Eminentissimus Baronius in Notis ad Rom. Martyrol. die 7. Martii, ita de D. Thoma scripserit: *Vix quisquam enarrare*

sufficeret, quot Vir Sanctissimus, atque Doctissimus, Theologorum praeconiis celebretur, quantùmque illius ILLIBATÆ DOCTRINÆ a Sanctis Patribus in Sacrosancto OEcumenico Concilio Tridentino fuerit acclamatum.

NOVUM est, quod Sancti Thomae scripta sint *CERTISSIMA CHRISTIANÆ REGULA DOCTRINÆ*. Ita S. Pius V. in Bulla incip. *Mirabilis Deus*, anno 1567. & idem Pontifex ait, quod Doctrina S. Thomae *est caeteris verior, clarior, utilior*. Ap. Paolac. *Fer. 5. post 4. Dom. Quadr.*

NOVUM est, & a Saeculis inauditum, a Summo Pontifice Jo. XXII. de Sancto Thoma prolatum: QUOT ARTICULOS COMPOSUIT, TOT MIRACULA FECIT Ap. Gerson *to. 1. tract. 39.* Item ejusdem Pontificis in Bulla Canoniz. Avenione datâ 18. Julii 1323. de Divi Thomae Doctrina encomium, videlicet, quod fuerit CLARA, FAMOSA, ET NON ABSQUE SPECIALI DEI INFUSIONE.

NOVUM, quod Alex. Papa VIII. Divum Thomam nominaverit *DEXTRUM ECCLESIÆ BRACHIUM*.

NOVUM, quod *Doctrina S. Thomae sit SINGULARIS, ex qua Universalis Ecclesia uberrimos fructus spiritualis abundantiae colligit, cujus odore recreatur, & nutritur*. Clemens VI. in Bulla edita Avenione 5. Febr. 1343.

NOVUM est, quod D. Thomas sit *splendidissimus Catholicae Fidei Athleta, cujus Scriptorum Clypeo militans Ecclesia haereticorum tela faeliciter elidit*, Ita Paulus V. in Brevi ad Neapolitanos anno 1605.

NOVUM est, a Sacro Concilio Tridentino, nedum semel aut iterum, sed pluries Sancti Doctoris articulos transcriptos, & in Canones ab omnibus Fidelibus creden-

dendos fuisse redactos, & coordinatos, prout ferunt plures Scriptores, ac præsertim Didacus Alvarez Archiepiscopus Tranensis, & Salpensis, nec-non Jo. de la Cruz, *Direct. Consc. in præf.*

NOVUM, quod de S. Thoma canit Ecclesia: *PLUSQUAM DOCTORES CÆTERI purgans dogma Gentilium*. In ejus Officio ap. Brev. Ord. Præd..

NOVUM, quod Seraphicus Franciscus cuidam Religioso sui Ordinis, nomine Eleutherio, perdifficili Sacræ Theologiæ quæstione quadam agitato, apparens una cum Angelico Præceptore, ait: *Crede huic*, (Sanctum Doctorem digito indicans,] *quia ejus doctrina non deficiet in æternum*. Ita ex Bernardo Episcopo Lodovensi refert Paulus Frigerius Cong. Orat. *in vita S.Th. l.* 1. *c.* 8.

NOVUM tandem a Beatissima Virgine Maria Divo Thomæ factum de Cœlo testimonium: *ESTO SECURUS DE VITA, & DOCTRINA TUA, quia sunt vera, & placent Filio meo*. Paolac. *fer. 6. post* 4. *Dom. Quadr.* & Julius III. Pont. Max, ut refertur in Elogiis D. Thomæ post Paneg. P. Hilarii Cavo Cler. Reg.

Ecce quot NOVITATES circa D. Thomæ doctrinam, & quomodo de ipsa loquantur Summi Ecclesiæ Hierarchæ, eique tota plaudeat Ecclesia.

XLIX. Quid ad hæc dicent, qui tam libero animo manifestas D. Thomæ Sententias reiiciunt, ac si contra Lessium, Gobatum, Bonacinam, Mastrium, Laymanum, Sanchez, Azorium, vel alium quemlibet insurgerent Probabilistam?

Deinceps ergo quando Scriptores extrinsecâ Doctorum Probabilitate suas munire voluerint opiniones, abstineant a citando Angelico Præceptore pro contraria

ria opinione; quia *S. Thomas pro centum millibus est*, ut dixit Orator Hispaniarum Regis in solemni Concione, quam de D. Thoma haberi voluit coram Venerabilibus Patribus Sacrosanctum Concilium Tridentinum. Quocirca eo ipso, quod aliquis Author contra se militare fatetur D. Thomam, jam propriam deiicit opinionem, cum nec triginta, nec sexaginta, nec centum, aut plures DD. in ejus favorem allegati, pugnare valeant contra unum D. Thomam, *centum millibus* meritò æquiparatum. Et certè quando Communis Doctor aliquam sententiam expressè tuetur, adhærentes habet cunctos Ordinis Prædicatorum Doctores, & Magistros; quorum quis poterit numerum texere? Quid ergo roboris habebunt, in istorum conflictu, centum, vel plures ex alienis? Ultra quod, extra Familiam Prædicatorum quot Sacri Ordines, Congregationes, Universitates, Accademiæ, Collegia, Doctores, qui D. Thomam, ut suum Magistrum venerantur, obsequuntur, & sequuntur? Igitur hi omnes allegantur, quandocumque unus citatur D. Thomas. Unde congruenter Cardinalis Toletus Soc. Jesu cum Antonio Possevino ejusdem Societatis *par. 2. Bibliot. lib. 13. c. 4.* ait: *Pace aliorum Doctorum dixerim, unus D. Thomas instar est omnium; tantam enim suis scriptis Philosophiæ, ac Theologiæ lucem attulit unus, quantam cæteri omnes possint Explanatores afferre.*

Hæc omnia novit perfidus ille Bucerus, cum dixerit: *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam*. Et alius quidam Catholicæ Fidei hostis sic ait: *Tollantur de medio Scripta S. Thomæ, cum Omnibus aliis DD. subire certamen non recusabo*. Ita ex præalleg. Alvarez habetur in Elogiis D. Thomæ ubi ante.

L.

L. Quid autem de *Nova*, *&* *Inaudita* Probabilistarum doctrina sentiat Apostolica Sedes, jam, Lector, superius ex Alex. VII. non semel audisti, & iterum audi. *Modus opinandi irrepsit Alienus Omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum Doctrina, & quem si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christiana vita Corruptela.* Observa, quomodo Papa loquitur uniformiter cum Clero Gallicano, quod, scilicet, Probabilistarum *modus opinandi* (utique contradistinctus ab opinionibus, & propositionibus per Pontificem damnatis, ut clarè constat ex Decreto condemnativo,) non sic antiquus, sed *novus*, quia *irrepsit* passim, & ad morem Serpentis: Et quod sit *initium*, *&* *caput damnatarum propositionum*: Tum quia est *alienus omnino* a Sanctorum Patrum doctrina: Tum etiam, quia si eum *pro recta regula fideles in praxi sequerentur*, *ingens eruptura esset Christiana vita corruptela*. Quid vis audire clarius?

Cum igitur juxta judicium Sedis Apostolicæ Novitates D. Thomæ sint oppositæ omnino Novitatibus Probabilistarum, ut vidimus, hinc est, illas in praxi eligendas esse pro recta regula morum, istas verò reiiciendas.

Ex dictis in hac Appendice clarissimè

LI. Infertur primò, Nicolaum Peguleti Scopum suo in Opere sibi præfixum nullatenus attigisse, videlicet, probabilistarum *placitum antiquis placuisse*, & quod ipsi fuerint Probabilistæ secundum formam Recentiorum, & in ordine ad difficultates, quas contra eos agitant Probabilioristæ. Sic satis superque demonstravi; quod utique Lector prudens, nec partium favore [sed ve-

clesia, quam & speramus.

Hæc de Appendice sufficiant. At

Noveris, Lector, quod hac a me vix absolutâ, *Tractatus Probabilitatis ex principiis Antiquorum compositus, Authore Nicolao Peguleti*, fuit a Sacra Indicis Congregatione prohibitus die 15. Januarii, currentis anni 1714.

§. V.
ADDUCUNTUR CONSECTARIA.
SUMMARIUM.

1. *An sit licitum in praxi sequi opinionem probabilem stantem pro libertate, concurrente, ac relicta opposita aequè probabili favente legis praecepto.*

2. *Quomodo sit intelligenda, & quando-nam vim habeat illa juris regula:* In pari causa potior est conditio possidentis.

3. *In dubio Juris de aliqua excommunicatione debet quis se gerere tamquam excommunicatum, & ad cautelam absolutionem petere.*

4. *Utrum quis teneatur ad impletionem Voti, quando est dubius, an ipsum emiserit.*

5. *An illa regula* In pari causa potior est conditio possidentis, *quandoque locum habeat extra materiam justitiae.*

6. *In qualibet causa debet Judex maximam diligentiam adhibere ad inveniendam veritatem, praesertim in concursu diversarum opinionum.*

7. *In dubio tam juris, quam facti nequit Judex ferre Sententiam juxta opinionem minus probabilem.*

8. *Quomodo, ubi agitur de causa criminali, se gerere de-*

debeat Judex in ferenda Sententia contra Reum, si adsit dubium facti.

9. *Regula a Judice observanda in casu, quo Reus per falsos testes juridicè convincatur, quem ipse Judex ex privata scientia novit innocentem.*

10. *Si vigeat, & perseveret dubium juris in causis tum criminalibus, cum civilibus, debet Judex ad supremum Tribunal recurrere.*

11. *Stante dubio juris in causis criminalibus, quæ moram non patiuntur, potest Judex sententiam proferre juxta opinionem, quæ hic, & nunc sibi videtur æquior, ac Legi conformior.*

12. *Inter opiniones æqualis probabilitatis spectantes ad aliquam causam civilem, post adhibita omnia remedia ad litem extricandam, potest, ac debet Judex partes componere.*

13. *Explicatur verus sensus illius regulæ:* De duobus malis minus est eligendum.

14. *Quam opinionem Medicus teneatur eligere in medendis infirmis; ubi plura ad ipsum pertinentia.*

15. *Pugnantibus inter se opinionibus, quæ-nam ex illis eligenda sit a Rege in Bello indicendo, præcipuè ad successionem Regni, in impositione Tributorum, in mutatione monetæ &c. omnia singillatim examinantur.*

16. *Quæ-nam ab Advocato eligenda opinio in patrocinandis causis.*

17. *An, & quando in dubiis opinionum Subditus teneatur Superiori obedire.*

18. *In Sacramentorum administratione quæ opinio eligenda sit, explanatur.*

19. *Et quid si habeatur sola probabilitas de Jurisdictione?*

20. *Sta-*

20. *Statuitur, & probatur, non esse licitum sequi opinionem etiam probabiliorem libertati consonam, quando tuta non est, in conflictu minus probabilis, sed tuta, ac stantis pro lege.*

21. *Explicatur, in quo sensu proscripta sit illa propositio*: Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

22. *An Confessarius teneatur, vel possit absolvere Pœnitentem juxta illius opinionem minus probabilem.*

23. *Quid verò si Pœnitens opinionem æquè probabilem sequatur, in qua est periculum violandæ Legis, & oppositam opinioni, quam sustinet Confessarius?*

24. *Innuitur, non peccare Confessarium, si non absolvat Pœnitentem juxta illius opinionem, quam ipse Confessarius improbabilem agnoscit; imò peccare si absolvat.*

25. *Utrum in aliquo casu possit Confessarius dissimulare, ac permittere, ut Pœnitens perseveret in sua opinione minus probabili, aut etiam falsa.*

I. COllige ex dictis primò, in conflictu opinionum æquè probabilium licitum non esse eam amplecti, quæ favet libertati, seu in qua est periculum violandæ Legis, alterâ oppositâ relictâ, quæ tali periculo vacat, & stat pro Lege. Ita sentiunt ferè omnes, qui sustinent eligendam esse Sententiam probabiliorem in concursu minùs probabilis, juxta sensum jam discussum; ac ita, & non aliter, omnes sentire debent, ut quamprimùm innotescet. Quapropter totum Authoritatis, & rationum pondus, adductum pro sequela sententiæ probabilioris, æqualiter urget pro æquè probabili. Specialiter videantur ex Thomistis Gonet, Mercorus, Na-

probabilis ſtantis pro Lege. Imò in via, & verbis D. Thomæ hoc ita verum eſt, ut in omnibus ſuis Authoritatibus, & rationibus allegatis, ſemper loquatur de duabus Sententiis æquè probabilibus, nec unquam ſe reſtringat ad Sententiam probabiliorem ſtantem pro Lege.

Hoc etiam probant penè omnia, quæ §. 3. ad noſtrum principale Aſſertum, nempe de eligenda probabiliori ſententia, propugnandum adduximus, & præcipuè ſecunda, & tertia ex rationibus ibidem elucidatis.

Unum præ omnibus hac in re potiſſimum eſt, quod in actuali, & contradictorio concurſu duarum opinionum æquè probabilium, adhærens parti, in qua probabiliter eſt periculum legem violandi, etſi minus peccet, quam ſi certus foret legem ſe violare, quia non peccat ex tanta malitia, ratione probabilitatis, quam habet legem in ſua operatione non violandi, peccat nihilominus, probabiliter exiſtimans ex opinione contradictoriè oppoſitâ legem eſſe violandam. Etenim qui in ſua operatione liberè volitâ, cognoſcit ſe poſſe peccare, & malè operari, verè ita eſt diſpoſitus, ut eam operationem velit etiamſi malam, & contra legem. Nec aliquid ei prodeſt illa velleitas, aut diſpoſitio habitualis, quam habet, quod ſcilicet non operaretur, ſi certò ſciret ſe contra legem acturum: Nam ſi eſſet voluntas efficax, abſoluta, & ſimpliciter talis non agendi contra legem, certè ab operatione deſiſteret, nec ſe probabili periculo agendi contra legem exponeret, cum non minus quiſque teneatur ad malum non perpetrandum, ac ad ejus periculum evitandum.

Ad-

Adde, quod ut homo tutò ac licitè operetur, debet ab aliquo motivo prudenti intrinseco, vel extrinseco respectivè moveri, ac determinari: Sed stante æqualitate duarum opinionum in probabilitate, nullum adest prudens motivum intrinsecum sufficiens ad prudenter determinandum, nempe aliqua ratio præponderans in una ex illis opinionibus, alioquin æque probabilis non esset, sed probabilior; nec etiam adest motivum ex Authoritate desumptum, sufficiens ad sic prudenter determinandum, cum supponamus, etiam ex hac parte, omnibus delibratis, opiniones adhuc remanere æquè probabiles: Ergo ab aliquo alio motivo extrinseco debet homo prudenter determinari: Sed hoc, aliud esse nequit, quam securitas, quæ reperitur in opinione stante pro Lege, & non in sua contradictoria favente libertati: Ergo ad licitè, ac tutò in tali opinionum concursu operandum, ea opinio semper eligenda est, & secundum ipsam operandum, quæ favet legi, scilicèt, quæ tuta est, & in qua nullum periculum, vel dubium, aut moralis formido contra legem agendi reperitur; aliàs operatio erit illicita: *Qui* enim *aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter, discrimini se committens*, ut docet communis Doctor *in 4. dist. 21. q. 2. a. 3. ad 3.*

II. Respondebis, inter opiniones æquè probabiles motivum determinandi operantem ad unam ex illis potiùs quam ad aliam, esse possessionem propriæ libertatis, juxta illam regulam, *In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis.* De reg. juris *in 6. reg. 65.* sicut ergo qui est in possessione alicujus rei, puta domus, vel prædii, etiamsi dubitare incipiat an res sua

sit

ſit vel aliena, adhuc poteſt debitis præſtitis diligentiis ſibi eam licite retinere, in vi poſſeſſionis, quam habet; ità qui eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis de aliquo agendo vel non, etiamſi dubitet, an actus ſit licitus, aut non, propter oppoſitas, & probabiles Doctorum opiniones, adhuc poteſt licite agere, vel non agere ſecundum quod ſibi placuerit, ſeu eligere illam opinionem, quæ ſibi fuerit favorabilior, quia *potior eſt conditio poſſidentis*, Et præſertim cum a tot annis Probabiliſtarum ſententia ſit in poſſeſſione apud tot Viros doctos.

Sed præfata regula juris nil prodeſt Adverſariis. Siquidem propriè non valet niſi in materia juſtitiæ, nec non in judicio forenſi, in quo de bonis fortunæ, & criminibus agitur: non autem eſt firma regula in materiis aliarum virtutum, & circa opinionum delectum in moralibus, ut inter plurimos alios, expreſſe docent ex Thomiſtis Gonet, Ildephonſus, Mercorus, Uvigandt, &c. & ratio eſt: Tum quia de facto quotieſcunque in jure invenitur uſus hujus regulæ, ſemper eſt circa materiam juſtitiæ, et non aliarum virtutum, ut pluribus locis ex lege citatis, obſervat præallegatus Mercorus *p.* 2. 2. 29. Tum etiam, quia eatenus in materiâ juſtitiæ ac rerum temporalium potior eſt conditio poſſidentis, ſi dubium occurrat circa earum dominium, quatenus, exiſtentibus hinc inde rationibus, & motivis æqualis ponderis, poſſeſſio tollit dubium, quia regulariter facit præſumptionem, quod poſſeſſor ſit verus Dominus, cum, ut plurimum, nemo rem aliquam poſſideat, cujus non habeat verum dominium, nec eam alienet, quin etiam ejus poſſeſſione ſe privet. Cæterùm in materiis aliarum virtutum, & ubi agitur de bonita-

te,

quacumque Lege,] potiorem reddat alicujus conditionem, debet esse certa: Certa autem esse non potest, nisi certò constet non extare Legem: Si ergo in tali casu particulari dubio non est certum, Legem non extare, & aliunde certò constat adesse Legem universalem tum naturalem, cum Divinam, obligantem hominem ad nihil agendum, in quo probabiliter adsit periculum Legis violandæ, necessariò infertur, in dubiis, in quibus hujusmodi periculum invenitur, non posse prætensam libertatis possessionem fundare contra Legem veri dominii præsumptionem; sed tunc recurrendum esse, tanquam ad principium operationis directivum, ad illam regulam a nobis §. 3. explicatam, quæ continet naturale, ac divinum præceptum, pro quo sine dubio stat possessio, *In dubiis tutior pars est eligenda*; ni sufficienti adhibitâ diligentiâ, possit certò veritas cognosci, vel saltem pro qua parte certò stet præsumptio veritatis.

Ad illud, quod additur, nempe Probabilistarum sententiam a tot annis esse in possessione apud tot Viros doctos; Dico antiquiorem esse possessionem divinæ, ac naturalis Legis, quæ vetat Probabilistarum placita. Præterea, apud aliquos Recentiores tantummodo plausibile fuisse Probabilitatis commentum; sed per mille sexcentos circiter annos oppositum fuisse a DD., Sacris Canonibus, & Summis Pontificibus communiter semper receptum, & scriptis exaratum. Unde si a possessionis præcellentia sumenda est veritas doctrinæ, contra Probabilistas militat, & retorqueri potest hæc ipsorum instantia, seu evasio. Ultra quod, illa sola possessio est legitima, quæ semper quieta, & pacifica fuit: Probabilismus autem suis ab incunabulis oppugnatores habuit,

& successu temporis a tot sapientissimis, ac Sanctissimis Viris, Præsulibus, Synodis &c. proscriptus fuit. Quapropter ejus, quæ utcumque asseritur, possessio nullum potest justum titulum stabilire.

Nec alicubi quorundam Prælatorum tolerantia [si qua fortè invenitur] ullum Probabilismo præbet suffragium. Siquidem hoc ipso quod tolerantia est, Legi adversatur, ejusque transgressio est; adeoque non potest esse approbativa ejus, quod toleratur. Præsertim cum adversus Legem Divinam, & naturalem nulla dari possit approbatio, nulla possessio, nullá ex hominum libertate, aut temeritate præscriptio: Proinde, si Probabilismi abusus Legi naturali, ac Divinæ adversatur, (ut supra vidimus ex ratione prudentiæ, quæ dictat nihil agendum, in quo adsit periculum violandi Legem,] manifestè innotescit, ejus tolerantiam, etiamsi sit cum scientia, non esse, nec posse dici approbativam.

III. Si dicas primo, quod in dubio juris de aliqua excommunicatione, E.G. an excommunicatio lata sit valida, seu liget, non tenetur quis se gerere tanquam excommunicatum, sed potest benigniorem opinionem amplecti; & non-nisi, quia unusquisque possidet suam libertatem communicandi in spiritualibus cum cæteris Fidelibus; & *in pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis*: Consequenter illa regula vim habet etiam extra materiam justitiæ, nempe in opinionum conflictu.

Negatur assumptum cum Mercoro *par. 3. a. 16.* Vuigandt *Tribun. Confessar. tract. 2. exam. 1. n. 15.* & aliis pluribus; quidquid in oppositum asserant Probabilistæ, quos sequuntur Bonacina *to. 2. de pec. disp. 2. q. 4. punc. 7. n. 15.* Etenim qui prædicto modo dubitat de excommuni-

ni-

nicatione, debet non quidem credere se excommunicatum esse, sed tanquam excommùnicatum se gerere, ac ad cautelam absolutionem petere. Ratio patet ex dictis. Et insuper, quia in tali dubio eligens opinionem faventem libertati, exponeret se periculo incurrendi magnum damnum spirituale, videlicet segregationem a communicatione bonorum spiritualium Ecclesiæ, & si a parte rei vera esset opposita opinio affirmans delictum habere annexam censuram, de facto esset perpetuò privatus dictâ communicatione: Ergo &c. Unde sicuti circa Sacramentorum administrationem, in dubio, non solum facti, sed etiam Juris, & opinionum, tutior pars omnino eligenda est, quæ favet ipsorum validitati, & in qua nullum est periculum defrâudandi Fideles magno bono spirituali, effectu scilicet Sacramentorum, & oppositum agere esset & contra Religionem, propter injuriam, quæ fieret Sacramento; & contra charitatem, in quantum Fideles exponerentur periculo carendi Sacramentorum fructu; & contra justitiam, quia unusquisque jus habet, ut sibi administrentur Sacramenta omni meliori modo, quo possit eorum effectus participare: Ita in dubio juris, seu opinionum de validitate, seu existentiâ excommunicationis, tutior pars in ejus favorem eligenda est, propter eandem rationem, evitandi, scilicet, periculum perpetuò carendi communicatione bonorum Spiritualium Ecclesiæ.

Adde, quod si in dicto eventu aliqua ratio valeret dubitanti, vi cujus posset dubium deponere, ac efformare judicium practicum moraliter certum, se non esse excommunicatum, non alia certè, quam præsumptio de mente Legis-latoris, qui noluerit aliquem ex-

communicatione ligari, quotiescumque æqualiter dubitat, an delicto a se commisso sit, vel non sit annexa excommunicatio: Quemadmodum ex Legis-latoris præsumptione in ferenda censura communiter docent Authores, patrantem aliquod crimen, cui annexa est excommunicatio, eâ non ligari, si invincibiliter ignoret ipsam latam esse. At cum dicta præsumptio sit omnino incerta, immo inverisimilis, quia potius, ac rationabilius præsumi potest, quod Legis-latoris mens fuerit, in dubiis opinionum circa aliquos casus individuales, quos in ferenda censura prævidere non potuit, ad ipsum recurrendum esse pro Legis interpretatione, ac interim nil contra ipsam Legem, & in favorem propriæ libertatis a persona dilinquente agendum esse, idcirco nulla ratio subsistit pro tuenda Advesariorum opinione.

Nec ab ipsis adducta urget vel leviter. Tum quia, ut bene notat Mercorus, si aliquid probaret, evinceret quoque, in dubio facti eligendam non esse partem tutiorem: quod tamen est contra communem Doctorum assensum, & Ecclesiæ praxim, quæ in ejusmodi dubiis solet ad cautelam reos a censuris absolvere. Tum etiam, quia ea, quæ asseritur, libertatis possessio communicandi cum cæteris Fidelibus, non facit præsumptionem, quod non advenerit censura illam libertatem ligans, nec impedit in foro conscientiæ, quin dubitans sit verè privatus participatione bonorum Spiritualium Ecclesiæ, si a parte rei excommunicatio sit valida. Sicuti possessio sanitatis in eo, qui dubitat, an cibum venenosum sumpserit, non facit præsumptionem, quod non adfuerit venenum sanitatem inficiens, nec impedit, quin talis cibus, si verè sit venenosus, mortem afferat ipsi du-

dubitanti. Unde ficuti in hoc cafu imprudenter ageret, qui antidotum nôn fumeret: ita in illo, qui non peteret abfolutionem.

Juxta hìc refoluta fumenda eft regula confcientiam efformandi, quando adfunt opinionum dubia, an lata fit Lex, five aliqua cenfura. Siquidem in his, aliifque fimilibus eligenda eft opinio, quæ pro lege militat. Tum propter rationes nuperrimè affignatas. Tum etiam propter ea, quæ fpecialiter in primo Confectario nn. 1. 2. &c. dicta funt.

Quando autem opinionum dubia effent de cenfura folum ferenda, an fcilicet aliquis effet excommunicandus, fufpendendus &c. femper benignior opinio eligenda eft, & in favorem Rei judicandum, conformiter ad ea, quæ infra *n.* 8. de Judice dicentur.

IV. Si dicas fecundò: In dubio quod quis aliquod votum emiferit, non tenetur voto, ut communius docent Theologi: & certè non-nifi, quia poffeffio ftat pro libertate dubitantis, qui hoc ipfo quod non eft certus fe talem legem particularem voti fibi impofuiffe, adhuc eft in poffeffione fuæ libertatis, nec ejus dominio debet cenferi privatus: Non eft igitur verum, præfatam regulam *In dubiis potior eft conditio poffidentis*, folùm habere locum in materia juftitiæ, ac proinde non eft, cur non poffit verificari in dubiis juris, & opinionum.

Ad hoc aliqui ex noftris negant affumptum, & docent, dubitantem de Voti emiffione teneri ad ejus obfervantiam; inter quos Uvigandt, *tract.* 2. *exam.* 1. *n.* 13. nec-non *tract.* 10. *ex.* 3. *n.* 32. & Natalis *de Decal. c.* 3. *a.* 12. *reg.* 16. Ubi adducit in fui favorem textum D. Th. *in* 4. *dift.* 38. *q.* 1. *a.* 2. *quaftiun.* 1. *ad* 6. fic dicentis: *Si*

autem

autem dubitat, quomodo se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat.

Verum hæc Authoritas non est ad rem nostram: Quia S. Doctor loquitur de eo, qui est certus de Voto, & solùm dubitat de modo, & circumstantia ipsius; ut clarissimè innotescit, nedum ex illis particulis, *quomodo se in vovendo habuerit*, quæ voti emissionem supponunt; verum etiam, & præcipuè ex antecedentibus in eadem responsione his verbis efformata: *Ad textum dicendum, quod obligatio voti ex propria voluntate causatur; unde si in VOVENDO prius cogitavit de Religionem intrando, & postea elegit talem religionem, vel talem locum, obligatur simpliciter ad Religionem: Unde si non potest in illa, quam elegit recipi, debet aliam quærere. Si autem primò, & principaliter cogitavit de tali religione, vel tali loco, in voto suo intelligitur hæc conditio, si illi volunt eum recipere, aliàs esset indiscretum votum: Unde, conditione non extante, non obligatur. Si autem dubitet quomodo se in VOVENDO habuerit*, idest an intrandi Religionem in communi, vel aliquam in particulari, *debet tutiorem viam eligere*, aliam inquirendo Religionem, quæ ipsum recipere velit, si ab una, quam primò adierat, reiiciatur, *ne se discrimini committat* transgrediendi, scilicet, votum factum de Religione.

Dicendum est ergo, eum, qui dubitat, an emiserit aliquod votum, non teneri ad ejus observantiam. Ita ferè communiter Theologi morales, inter quos Martinez de Prado, *ap. Franc. a Matre Dei to.4.Theol.mor.tract.17.c.1.n.*143. unus & forsan primus in Hispaniis Probabiliorismi defensor contra Caramuelem, ut fatetur Eminentiss. de Aguirre *in præf. Concilii Hispan.n.*31. Merco-

corus, præ omnibus Thomistis acerrimus contra Probabilismum *Bas. Theol. mor. par.* 2. *a.* 29. *pag. mihi* 465. ubi asserit, quod ita Doctores communiter dicunt. Mayol, nihil probabilista, *par.* 1. *super Decal. de* 2. *præc. q.* 2. *a.* 1. §. 2. & alii. Verum non ob id non tenetur voto dubitans de ipsius emissione, quod possessio stet pro libertate dubitantis (ut optimè advertit Mercorus, & in quo penè omnes hujus sententiæ Authores falluntur). Siquidem hæc ratio non probat, cum libertatis possessio nullum indicium, aut præsumptionem faciat, sic dubitantem non vovisse; aliàs præfata regula ad omnium utique virtutum materias, & universaliter posset in dubiis tam juris, quam facti faciliter, sed gratis adaptari, quod tamen non est admittendum: Sed aliunde sumenda est ratio, cur dubitans de voti emissione, non teneatur ad ipsum implendum; ex eo, videlicet, quod in tali casu, dubitans præsumitur non vovisse. Cum enim votum sit quid grave, & homines cum aliqua applicatione soleant vovere, imo & reiteratà consideratione vota ratificare, non ita facilè solent è memoria labi; adeoque si quis non recordetur se votum emisisse, præsumitur non vovisse; & talis præsumptio tollit dubium, ac relinquit eum, qui dubitabat, a voti observantia totaliter immunem, cum practicè ablato dubio, nil ei officiat illa regula, *In dubiis tutior via est eligenda*.

Roboratur hoc: Quia certus de voto E. G. jejunandi qualibet sexta feria, & in casu trasgressionis erogandi pauperibus certam pecuniæ summam, & dubius an primâ sextâ feriâ septembris votum impleverit omnes Doctores asserunt, sic dubitantem teneri illam pecuniam pauperibus elargiri. Optimè. Sed si a pluri-

bus

bus eorum rationem petas, respondent, hoc ideo esse, quia possessio stat pro voto, & in dubiis potior est conditio possidentis. At hæc ratio certe videtur impertinens. Quia si dubitans animadverteret, se voto semper satisfecisse, ac tali prima sexta feria Septembris nullum habuisse impedimentum non jejunandi, non teneretur solvere pecuniam in casu trasgressionis voti sibi taxatam; quia deberet præsumi voto satisfecisse, quantumvis de ipsius adimpletione positivè non recordaretur: Et tamem in tali eventu possessio staret pro voto, ut constat. Igitur in dubiis extra materiam iustitiæ, ac rerum temporalium, quæ possidentur, vera operandi regula est, ut nuper diximus, inquirere pro qua parte stet præsumptio veritatis.

V. Noster Petrucci in sua Lucerna morali *c.7.§.3.n.72.* putat cum aliquibus DD. prædictam regulam, *In dubiis potior est conditio possidentis*, habere locum etiam extra materiam justitiæ, licet non ita proprie, & in rigoroso sensu: Cum in materiis quoque aliarum virtutum detur quodammodo jus, possessio, ac titulus iustæ possessionis, quamvis non ita stricte; adeòque ubi clarius nequeat veritas apparere, illud quasi jus, & quasi possessionem esse non motivum sufficiens inclinandi judicium in eam partem, pro qua stat talis possessio.

At estò concedamus dari non-numquam in materiis aliarum virtutum extra justitiam quandam quasi possessionem, dico tamen, eam non esse firmam operandi regulam in dubiis, & præcipuè si sint dubia juris, & opinionum: Et ratio est: Quia ea possessio in illis materiis regulariter non facit præsumptionem veritatis in favorem illius partis, pro qua stat possessio, bene verò in ma-

materia justitiæ, ut paulò ante ostendi. Et certè oppositum non videtur suadere exemplum, adductum ab eodem Petrucci de consuetudine contra Legem positivam humanam [etenim contra legem naturalem, aut divinam nulla, & nunquam dari potest rationabilis consuetudo, ut habet communis Doctor lo. mox allegando *ad* 1.); de qua si dubium oriatur an ab initio fuerit legitimè introducta, potest unusquisque licitè ipsam sequi [tametsi melius esset legem implere); quia ut ait D. Th. 1. 2. q. 97. a. in c. *Consuetudo & habet vim Legis, & Legem abolet, & est Legum interpretatrix*. Sed non ideo formaliter, & principaliter, quia consuetudo sit quodammodo in possessione, nam hoc se habet ut quid consecutivum: Sed quia cum Lex humana a voluntate hominis Legis-latoris rationi consentaneà dependeat, & voluntas ejus tam verbo, quam facto manifestari possit, si Legis-lator, seu Princeps supremus ad quem pertinet leges condere, aut mutare, cognoscit, contra Legem aliquam actus a populo multiplicari, & potens eos impedire non impedit, præsumitur tacitè & in facto tales actus, adeoque & consuetudinem per eos introductam approbare; ac proinde talis præsumptio, quod Princeps nolit ad legem obligare, est fundamentum judicandi, posse quemcumque eam consuetudinem sequi tanquam legitimam, & approbatam. Ex qua præsumptione postea consequitur, illam quasi possessionem ejusdem consuetudinis favere populo ipsam possidenti. Videri potest Angelicus Doctor art. nuperrimè allegato. Sed

Difficultas esse potest in casu quo talis præsumptio haberi nequeat, & specialiter de Judice, habente in aliqua causa ex utraque parte jura, & rationes æqualis pro-

babilitatis, itaut maneat in æquilibrio. Circa quod

Duo tanquam omnino certa suppono.

VI. Primum est: Judicem semper, & in quacumque causa, sive civili, sive criminali, teneri maximam diligentiam adhibere ad inveniendam veritatem, præsertim in concursu diversarum opinionum, ut possit ad Legis tenorem, seu juxta allegata, & approbata judicare, ac sententiam ferre: Hoc enim exigit ejus officium, & ad hoc a Principe constituitur.

VII. Secundum est: In dubio sive juris, sive facti non posse Judicem ferre sententiam juxta opinionem minus probabilem relictâ probabiliori. Siquidem oppositum fuit reprobatum ab Inn. XI. in secunda ex propositionibus ab eo proscriptis, videlicet: *Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*. Et certè judicium justum, inter alia, hoc unum exigit, ut *proferatur secundum rectam rationem prudentiæ*, ut ait communis Doctor 2.2. *q.* 60. *a.* 2. *in c.* alias erit *illicitum, & vitiosum*: Non potest autem esse secundum rectam rationem prudentiæ, si Judex sententiam ferat contra eum, cui favere cognoscit solidiores rationes, & urgentiora motiva. Circa quod recolantur superius dicta §. 3.

Præterea, tale judicium non esset *ex inclinatione justitiæ* [prout requiritur ad rectum judicium, juxta S.D. ibidem); quia procederet vel ex odio contra unam ex partibus, vel ex inordinato affectu ad aliam, vel ex proprio ipsius Judicis commodo, & utilitate, vel ex libito, seu libero ejusdem arbitrio; quæ omnia sunt iniusta, ut patet: Ac proinde cum illud judicium non emanaret a motivo rationis, quia hæc fortior, & efficacior es-

set

set pro illa parte, contra quam daretur Sententia, esset irrationabile, ac illicitum. Quando enim de aliqua re nequit haberi omnimoda certitudo, semper adhærendum est motivis probabilioribus, quia tunc probabilioritas succedit loco certitudinis physicæ, aut metaphisicæ, cui proximiu accedit. Sed

VIII. Advertendum, quod ubi agitur de causa criminali, & præcipuè de causa sanguinis, non potest Judex in dubio facti contra Reum sententiam ferre ex probationibus nedum merè probabilibus, sed nec etiam probabilioribus [ut communiter asserunt DD.); Si tamen ex adverso, & in favorem Rei adsint rationes etiam probabiles oppositum suadentes: Quia *unusquisque præsumitur bonus, nisi evidenter probetur malus*, secundum Juristarum Proloquium. Unde ad Reum condemnandum sunt necessariæ probationes luce meridiana clariores. Ita Leges loquuntur. Eapropter si Judex dubitet, an Reus sufficienter ad normam juris convictus sit, quamvis probabiliùs existimet ipsum esse convictum, si tamen ex parte Rei exceptiones in defensionibus adductæ, suâ non carent probabilitate, debet pœnam moderari, [attento probationum vigore, ac criminis qualitate,] ac reo, quantum prudentialiter potest, semper favere. Neque in hoc casu diceretur Judex sententiam ferre juxta opinionem minus probabilem, sed juxta certas Legum sanctiones.

IX. Quomodo autem Judex se gerere debeat in casu, quo aliquis ut reus per falsos testes juridicè convinceretur, quem ipse Judex ex privata notitia sciret innocentem, docet D. Th. 2. 2. *q.* 64. *a.* 6. *ad* 3. his verbis: ***Dicendum, quod Judex si scit aliquem innocentem esse, qui***

sis testibus convincitur, debet diligentiùs examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum Superiori relinquere judicandum (quia tunc potest se ut testem veritatis apud illum præsentare). *Si autem hoc non potest, non peccat secundùm allegata Sententiam ferens: Quia ipse non occidit innocentem, sed illi, qui eum asserunt nocentem.* Alia plura ad Judicem spectantia videantur apud eumdem S.D. *ib. q.* 67. ac ejus Interpretes Thomistas, & in eorum libris de Justitia, & jure. His præhabitis,

Ad difficultatem, quæ rarissimè accidere potest, cum ferè semper adsint ex alterutra potiores rationes, testes numero plures, aliaque motiva in sui favorem inclinantia, saltem ex benigniori Legis interpretatione, de qua locuti sumus §. *prac. n.* 9.

X. Dico primò: Si dubium est juris in causis tum criminalibus, tum civilibus, & post diligentem peritorum consultationem, adhuc dubium perseverat, debet Judex ad Supremum Tribunal recurrere, ab eoque Legis interpretationem, & sensum petere, ac expectare, & juxta illius consilium, tutò potest, ac debet sententiam ferre. Ita praxis docet, & ita faciendum innuit D. Th. 1. 2. *q.* 96. *a.* 6. *in c.* Ratio etiam suadet: Quia apud Supremum Judicem residet Authoritas Leges interpretandi; & alias in suo Tribunali præsumitur majoris juris notitia, & intelligentia, tum propter Juris-peritos doctiores, tum propter majorem, & universarum causarum frequentiam, & varietatem; adeòque Judex inferior potest prudentialiter existimare, a Senatu non-nisi consilium rectæ rationi consentaneum emanandum, & consequenter tutò posse illi suum judicium in ferenda

da sententia conformare.

At in hoc eventu Senatus-consulti, & Judices Supremi debent dubium explicare, ac Legem interpretari juxta opinionem probabiliorem, & communiùs a sapientibus receptam; alioquin contra rectæ rationis dictamen, ac iniustè judicabunt, (nisi Princeps in causa criminali vellet in favorem Rei, absque præjudicio publico, & satisfacta parte, Legem dispensare,] & ad restitutionem damnorum, præcipuè in civilibus, tenebuntur. Hoc remanet probatum ex dictis, & specialiter notat ex plurium Doctorum sententiâ Magister Luccioni *q.* 1. *a.* 3.

XI. Dico secundò: In dubiis juris, quæ moram non patiuntur, in causis criminalibus, potest, ac debet quilibet Judex [sufficienti adhibita diligentia, & petito Juris-consultorum sensu, quantum fieri potest, & permittunt circumstantiæ temporis, loci, ac personarum] sententiam proferre juxta opinionem, quæ sibi hic, & nunc videtur convenientior, & quam ex coniecturis æquiorem cognoscit, & juri communi conformiorem. Ita ex pluribus Juristis Mercorus *ubi sup. a.* 17. Ratio est: Quia sic, & non aliter agendum postulat ratio prudentiæ.

XII. Dico tertiò: In dubiis facti spectantis ad aliquam causam civilem, (in qua nulla supponatur possessio, quæ semper favet possessori, juxta regulam juris,) ac stantibus hinc inde opinionibus æqualis probabilitatis, E. G. quæ-nam ex partibus litigantibus proximiorem gradum consanguinitatis habeat ad hæreditatem obtinendam, post assignatas debitas dilationes, aliaque omnia adhibita remedia ad litem magis extricandam, potest, ac debet Iudex partes componere, remque de

qua

qua lis est, inter eos dividere, si divisibilis sit; sin autem, uni eam adiudicare, vel jacta sorte, vel per electionem ex condicto inter partes ab alterutra faciendam, cum conditione, quod alteri solvere teneatur æquivalens pro rei medietate. Ita respectivè docent Silvester, *V. Judex* 1. *q.* 7. Luccioni *ubi ante*. Armilla, Tabiena, & Bannez, quos adducit & sequitur Mercorus nuperrime cit. *aa.* 3. & 18. ubi asserit, quod hoc videtur esse in usu apud Judicantes. Pisani *Gedeon glad. prop.* 2. *n.* 6. & Petrucci *Lucer. mor. c.* 7. *post Append.* §. 1. *n.* 37. Ratio est: quia Judex sic faciendo, nulli partium iniuriam infert, & sententiam pronunciat juxta æquitatem, quæ in hoc casu exposcit, ut res dividatur juxta merita partium, & causæ.

Tres tamen ad hanc compositionem requiruntur conditiones; quarum

Prima est, quod si in favorem unius ex partibus stent motiva aliqualiter, (sed non notabiliter) præponderantia [in quo casu adhuc potest decerni compositio] divisio fiat servata proportione, ac juxta illum, tametsi parvum, excessum. Ratio est ac præcedens.

Secunda est, quod, cæteris paribus, debet Judex aliquantulum inclinare in favorem Rei potius quam Actoris. Et constat ex dictis; quia semper favendum est Reo, quantum æquitas permittit.

Tertia est, quod compositio fiat salvis semper juribus utriusque partis; & insuper cum protestatione, quod si futuris temporibus pro illa parte, quæ rem alteri adiudicatam non possidet, effulgeret ratio veri dominii, possessio nil suffragetur parti possidenti, nisi in casu præscriptionis. Stantibus his conditionibus, & presertim

tim hæc ultima,

Evanescit ratio quorundam oppositum sentientium, quia videlicet, de duobus malis minus est eligendum: Sed minus malum est, quod Judex se exponat periculo defraudandi verum dominium in toto, rem uni partium applicando, quam certo defraudare verum dominium in medietate per compositionem partium: Ergo Judex in recensito dubio non potest partes componere, sed debet uni eorum rem totam adiudicare.

Evanescit, inquam: Quia falsum esse majus malum rem inter partes dividere salvis utriusque juribus. Nam quivis litigantium, stante litis obscuritate, mallet medietatem rei certò habere salvis juribus, quam exponere se periculo totum amittendi: Eò præcipuè, cum altera medietate certò non defraudatur, per hoc quod ejus jura salvantur, sed veluti provisionaliter sententia compositionis proferatur, quoadusque veri dominii rationes evidenter innotescant. Et eapropter Judex compositionem indicens, prudenter agit, quia omnino vitat periculum errandi in toto: Et

XIII. Notandum, illam regulam, *De duobus malis minus est eligendum*, intelligi.

Primò, in casu urgentis necessitatis, non ex voluntatis arbitrio; idest quando imminent duo mala, nec utrisque potest occurri, sed alterutrum est inevitabile. Nam si desit necessitas operandi, desistendum est ab operatione, donec moralis certitudo de actus honestate haberi possit.

Secundò intelligenda est ea regula de malis pœnæ, ac damni, non autem de malis culpæ manentibus in statu culpæ. Quia, cum quodlibet peccatum, quantumvis

vis comparativè minus, ſit contra rectam rationem, ac Deum offendat, & ineligibile etiam ob aliquem finem bonum, cum non ſint facienda mala, (ideſt peccata tam gravia, quam levia,) *ut eveniant bona*, ſive temporalia, ſive ſpiritualia. Quando igitur imminent duo, quæ in ſe ſpectata mala ſunt, & unum eorum omnino eſt faciendum, debet eligi illud, quod ſecundum ſe utique foret minus malum, ſed ſtante inevitabili neceſſitate, malum amplius non eſt, ſed bonum, ejuſque electio, quæ præciſa tali neceſſitate, illicita eſſet, licita evadit. Et hoc modo intelligitur id quod habetur in Decretis *Diſt.* 13. Can. *Duo mala* ex Concil. Tolet. 8. his verbis: *Duo mala licèt omnino ſint præcavenda, tamen ſi periculi neceſſitas unum ex his perpetrare compulerit, id debemus reſolvere, quod minori nexu noſcitur obligare.* Unde ib. Can. ſeq. ex D. Greg. ſic dicitur: *Si omnino nullus ſine peccato evadendi aditus patet, minora ſemper eligantur; quia & qui murorum undique ambitu ne fugiat clauditur, ibi ſe in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur.*

Sit clarum exemplum de Sacerdote, qui die feſto teneatur Sacrum celebrare ad evitandum ſcandalum, & habeat conſcientiam peccati mortalis abſque copia Confeſſarii. Si non celebret, peccat, quia populum ſcandalizat. Si celebret, peccat, accedens abſque prævia Confeſſione. In hoc dubio eligat minus malum, nempe celebrare non præmiſſâ Confeſſione, elicito tamen actu veræ contritionis, ſaltem exiſtimatæ; quia majus malum eſſet alteri grave ſcandalum præbere, quam ſine actuali confeſſione celebrare [ſuppoſitâ contritione, alias non): Et illud, quod ſecundum ſe fuiſſet minus malum, jam malum non eſt, cum in tali eventu non obliget

præ-

præceptum de præmittenda Confessione, sed tantum teneatur postea Sacerdos quamprimùm confiteri, prout decernit Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 7.

XIV. Quæres primò, quid-nam dicendum de Medico circa electionem opinionum in curandis ægrotis.

Antequam respondeatur, suppono tanquam omnino certum, Medicum teneri diligentiam adhibere in sui muneris exercitio, & etiam aliorum peritorum consilium inquirere, si opus fuerit, ad salutem ægroti procurandam: Alias si notabiliter in hoc deficiat, a lethali culpa non excusabitur, & peccabit nedum contra charitatem, verùm etiam contra justitiam, & cum onere restitutionis, & damna resarciendi infirmo, vel hæredibus. Ratio est ac de Judice; quia ita exigit suum officium, & ad hoc sive a privatis personis, sive a tota Communitate mercede conducitur. Hoc supposito,

Respondetur ad Quæsitum primò, Medicum non posse medicinam infirmo præbere, quam probabilius putat ejus vitæ, aut saluti obfuturam, relicta tutiori, idest quæ certò speratur profutura, etiamsi gratis infirmum curandum suscipiat: Aliòquin, si aliquod damnum sequatur, ad restitutionem obstrictus erit. Ita ferè omnes, quos legerim, Doctores. Et ratio est: Quia Medicus adhærens opinioni minus probabili, relicta probabiliori, ac tuta in exhibendis pharmacis, non solum imprudenter, sed iniustè agit, & in ægrotum gravem iniuriam committit: Ergo &c. Insuper, si Medicus infirmaretur, vellet utique ut sibi adhiberentur illa remedia, quæ probabilius causarent sanitatem, quam ea, quæ probabilius possent obesse, licet probabiliter profutura existimarentur: Ergo cum naturale principium sit; *Quod tibi non*

tuis, alteri ne feceris, hinc est &c.

Addo ex nostro Petrucci *ubi ante n.* 51. nec licitum esse Medico applicare remedia, quæ probabilius existimat præjudicium, quam utilitatem infirmo allatura, etiamsi nullum aliud remedium haberi possit: Quia non licet vitam, aut salutem infirmi periculo exponere; sed in tali casu, Dei providentiæ, ac naturæ totum relinquendum.

Respondetur secundò: Si medicamentum est dubium, idest æquè probabiliter noxium, ac salutiferum, non potest a Medico probari super infirmum, alio relicto medicamento non dubio. Ratio est: Quia tenetur Medicus, quantum est ex se, ac fieri potest, salutem infirmi procurare: Hoc autem non faceret, si, pharmaco non dubio relicto, dubium vellet in experimentum adhibere; quinimmo infirmi salutem, ac vitam periculo exponeret: Igitur in tali experimento contra charitatem, & justitiam gravissimè peccaret.

Respondetur tertiò: Si Medicus æqualiter dubitat, an medicina sit pro, vel obfutura, & salus infirmi omnino sit moraliter desperata, potest illam adhibere, alio tamen non extante certiori remedio. Ita communius, & præ aliis Doctoribus Petrucci *lo. sup. alleg. n.* 52. & Vuigandt *tract.* 2. *exam.* 3. *n.* 27. Ratio est: Quia tunc Medicus operatur potius in utilitatem infirmi, quam in ejus damnum, exhibens medicamentum, quod forsan, seu probabiliter potest illi prodesse. Et cum ex alia parte salus ægroti humano modo sit omnino desperata, nec ullum adsit medicamentum certius, prudenter a Medico præfertur certæ morti, dubia, & probabilis spes salutis. Quocirca si tale medicamentum fortè vel auge-

ret dolorem, vel mortem aliquantulum accelerarет, hoc esset per accidens respectu Medici; ipse enim per se intenderet sanationem, estò dubiam, infirmi quamprimum morituri.

Respondetur quartò: Medicum in curatione Infirmi posse remedium aliquod probare, de quo dubitat, an sit profuturum, sed est certus non posse nocumentum inferre. Ratio est: Quia tunc utiliter agit causam infirmi, quamvis per medium solùm probabiliter proficuum. Quod tamen intelligitur salvâ illius, & suorum indemnitate, scilicet expensis, & hujusmodi: Alias expectandus est ipsorum consensus; nisi forsan parvitas materiæ pro nihilo habeatur, præcipuè in ordine ad publicam utilitatem, & bonum commune, quod speratur ex tali experimento.

Quæ hic de Medico resoluta sunt, de Chirurgo quoque sunt proportionabiliter dicenda.

XV. Quæres secundò, quam opinionem sequi teneatur Rex in bello indicendo, præcipuè ad successionem Regni, in impositione Tributorum, aliorumque gravaminum, in mutatione monetæ &c.

Ex dictis apertissimè constat, non posse Regem in his omnibus, aliisque consimilibus ductum sequi opinionis minus probabilis in probabilioris concursu, imo nec inter oppositas opiniones æquè probabiles illi adhærere, quæ suæ cupiditati favet, & legi Dei, ac hominum præjudicat indemnitati. Nihilòminus, ut pauca de his singillatim dicamus, ad hoc præcisè ut cognoscatur, quomodo sit in eis efformanda conscientia,

Quò ad primum respondetur: Ad bellum justè indicendum requiri, quod Princeps, post maturam discus-

sionem suorum jurium, etiam per Theologos, ac Jurisperitos probos, & sapientes faciendam, ea cognoscat ut valde probabiliora, & certa, saltem moraliter: Et insuper, quod ea repræsentet Principi, contra quem deberet bellare, ut scilicet, aliis mediis facilioribus, ac tutioribus jus suum possit acquirere, vel defendere, caussam amicabiliter tractando, antequam extremum, & periculosissimum belli medium experiatur.

Ratio primæ partis est. Tum quia si Princeps sola ratione minus aut æquè probabili ductus bellum excitet, exponit se periculo iniustè bellandi, ac lædendi jus alterius in re gravissima, cum magis, aut æquè probabile sit, seu dubium, quod alter sit verus dominus rei, pro qua bellum indicitur: adeoque gravissimè peccabit, eritque obnoxius restitutioni omnium damnorum inde provenientium. Tum etiam, quia nemo ad tuendum, vel acquirendum jus proprium incertum, & dubium, potest, citra culpam, lædere jus proximi certum: Læderentur autem inevitabiliter tot Innocentes, legitimè, ac certo jure bona sua possidentes, si bellum fieret ad acquirendum, vel tuendum jus solum probabile, ac incertum.

Nec tunc prædicta damna dicerentur per accidens sequi, & non esse per se intenta: Hoc enim esset verum, si Princeps uteretur jure suo omnino certo, & securo, non autem si dubio, & incerto.

Ratio secundæ partis est: Quia unusquisque tenetur omni æquiori modo, ac salvis, quantum fieri potest, aliorum juribus, sibi providere, suaque defendere, vel acquirere. Quocirca Rex mortaliter delinqueret, si, non tentatis aliis mediis facilioribus, arma contra pro-

xi-

ximum sumeret, ac tot Innocentium afflictiones, & neces, urbium, & domorum direptiones, incendia, devastationes, totque alia quamplurima, & horribilia mala in populis causaret.

Si verò jura, & rationes Principis prætensoris non adeo probabilius appareant, debet causa per compositionem, aut aliter definiri, perpensis ex utraque parte motivis a Judicibus arbitris, seu compromissariis concorditer eligendis. De quo videndus est Victoria *De jure belli n.* 28. Sic enim unusquisque proprium jus tuetur, & evitantur armorum strepitus, ac Provinciarum exterminia.

Dices: Potest dari bellum justum ex utraque parte: Sed non-nisi ex vi, & usu probabilitatis: Ergo ex motivo probabili potest quis licitè bellare.

Respondetur, bellum non posse utrinque justum esse, præcisè in vi, & ex usu probabilitatum, sed ex judicio moraliter certo, quod uterque Rex facit, nempe, quod ex parte sua stet justitia causæ, pro qua fit bellum, ex altera verò non, sed potius injustitia. Verum tamen est, quod in re unus eorum decipitur, quia veritas una est.

Hæc omnia intelliguntur de bello offensivo. Nam ad defensionem sufficiunt motiva, & rationes æquè probabiles, cognitæ ut tales: Quia tunc valet illa regula: *In pari causa potior est conditio possidentis*. Requiritur tamen, quod Rex, qui impetitur, sit paratus causam absque armis examinare, ac eam Judicibus ex utraque parte eligendis decidendam committere: Hoc enim modo damna per bellum consecuta, non ipsi erunt imputanda, sed Aggressori, qui,

con-

contra justitiæ regulas, vult Possidentem suo prætenso jure violenter expoliare.

Idem pariformiter, ac eisdem rationibus nuper traditis, dicendum est in ordine ad successionem Regni, præcipuè cum Regnum non sit propter Regem, sed è contra Rex propter Regnum; adeòque ex sola probabilitate etiam æquali, etiam majori, non est licitum omisso tractatu conveniendi, aut compromittendi, regnum armis aggredi, & occupare, ad personalem potestatem dominativam extendendam. Ita huc-usque dicta respectivè resolvunt inter Thomistas Victoria, Ildephonsus, Baptista, & Jo. a S. Thoma quos allegat, & sequitur Mercorus, *Bas. Theol. par.* 3. *a.* 18. Item Bannes, 2. 2. *q.* 40. *a.* 1. *dub.* 5. ubi satis abundè hanc materiam discutit. Petrucci *Lucer. mor. c.* 7. §. 1. Vuigandt *Tract.* 2. *exam.* 3. *n.* 33. & alii.

Ad secundum de impositione tributorum, aliorumque onerum, respondetur, solam opinionem, aut causam probabilem non sufficere ad nova gravamina Subditis imponenda; sed requiri certam, evidentem, & magnam Principis necessitatem, licet non extremam.

Prima pars jam liquet. Siquidem in dubiis melior est conditio Subditorum res suas possidentium, quam Principis Tributum imponentis: Cum ergo Princeps dispoticum, & absolutum dominium non habeat in bona Subditorum, sed solum attentis magnis necessitatibus boni communis, cui aliter subvenire nequeat, quam cum Subditorum gravamine, non potest eos justè suis substantiis, ex merè probabili motivo, & ad libitum, spoliare. Et hinc

Remanet probata secunda pars. Eò præcipuè, cum in

in casu magnæ necessitatis Reipublicæ, & non aliter, teneantur Subditi, juxta proprias vires, & ad mensuram ejusdem necessitatis, eàque permanente, & non ultra, Principi subvenire; Qui proinde si habeat ex propriis sufficientes redditus ad occurrendum publicis necessitatibus, nequit populos gravare. Unde debet curam adhibere, ut bona sua conserventur, & per Ministros fideles administrentur, vel amissa recuperentur. Quod si hujusmodi præstitis diligentiis, Reipublicæ necessitas adhuc requirat Populi tributum, potest illud imponere, moderatè tamen, & precisè ad mensuram necessitatis; Curando insuper, ut exactio pecuniæ in eos usus, ob quos est imposita, fideliter convertatur, & ne pauperes opprimantur, vel graventur. Ita ex Cajet. & Sylves. VV. *Vectigal. & Gabella* Soto, Lodesma, & aliis, quos adducit, & sequitur Jo. de la Cruz, *Director. de 7. prac. q. 7. a. 3. dub.* 1. Item Joanne a S. Thoma, Petrucci, & Vuigandt *ubi ante*.

Tertia pars responsionis videtur manifesta. Tum quia magna Reipublicæ necessitas, extremæ necessitati alicujus personæ particularis æquiparatur a D. Th. 2. 2. *q*: 32. *a*. 6. Tum etiam, quia Respublica extremè laborans, vix, aut nullatenus potest a populo sublevari; adeòque pro tributo imponendo ultima necessitas non est expectanda: Præsertim cum totius Communitatis damna in singularium detrimenta Subditorum non possint non redundare, ut benè observat idem Petrucci *lo. cit. n.* 10.

Ad tertium de mutatione monetæ, eisdem fermè doctrinis nuperrimè adductis respondendum est. Cum enim fieri nequeat, nisi stante gravissima & urgentissi-

ma

ma necessitate & sic exigente bono communi, (ad quod ordinatur dominativa & gubernativa potestas,) non est licitum Principi, ex opinione minùs aut æquæ probabili, & dubiâ, monetam variare. Cujus ratio est, quia aliòquin exponeret se periculo iniustè damnificandi Subditos in commerciis, contractibus, cæterisque similibus commutationibus pretio æstimabilibus, quæ pecunia mensurantur, & regulantur, ut ex Philosopho docet Communis Doctor *Opusc.* 20. *de regim. Princ. ad Regem Cypri directo c.* 13. ubi hæc habet: *Moderatus tamen debet esse Princeps quicumque, vel Rex, sive in mutando, sive in diminuendo pondus, vel metallum; quia hoc cedit in detrimentum populi, cum sit rerum mensura, ut supra dictum est.* Ergo augmentum, vel diminutio monetæ non potest licitè fieri, nisi adsit certa, & evidens Reipublicæ utilitas, quæ damnum particularium Subditorum compenset. Quando enim augetur numisma, utilitas est solum pro Principe, & quibusdam aliis, qui pecuniis abundant: Quando verò minuitur, tota Communitas læditur in substantia suæ monetæ. Quapropter semper præ oculis habendum est, ut hujusmodi, quamvis justæ, mutationes semper fiant minori, quo fieri potest, Populi, ac præcipuè Pauperum præjudicio. Quæ-nam autem sint causæ urgentes mutandi monetam, non est hujus loci assignare.

Omnia jam recensita, tutâ conscientiâ, & secundum justitiæ, ac rectæ rationis ordinem præstabunt Reges, ac Principes, si (ut salubriter monent Jo. a S. Th. ap. Petrucci, & Hacquetius ap. Vuigandt locis citatis] præter propriam diligentiam in cognoscenda, & sectanda veritate de licititate suarum actionum ad populorum gu-

gubernium, sibi eligant in Confessarios Viros valde doctos, & pios, nec-non habeant Consiliarios sapientes, & timoratos, ab omni avaritiæ, ac adulationis labe immunes, quibus omnem libertatem relinquant veritatem corde sincero edicendi, ad eumque finem ipsis præcisè non insinuent propriam inclinationem &c. Et certè non rarò Principibus hanc evenire puto calamitatem, quam sibi accidisse dicebat Elisabeth Lusitaniæ Regina, videlicet, se nunquam consuluisse aliquem Theologum, Juris-peritum, ac Medicum, qui juxta suum desiderium ei non respondisset.

Legant etiam Domini temporales prælaudatum D. Thomę opusculum *De regimine Principum*, in quatuor libros partitum. Aliud insuper ejusdem Sancti D. Opusculum, cui titulus, *De eruditione Principum*: In quibus Christianę politię regulę ad populos laudabiliter regendos traduntur. Meditentur denique, ac paveant, quod a Spiritu-Sancto iniquis Regibus annunciatur *Sap. 6. V. 3. & seqq.* his verbis: *Prębete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: Quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur; quoniam cum essetis ministri illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè, & citò apparebit vobis; quorum judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam; quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus; Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo, Re-*

ges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis.

XVI. Quæres tertiò, an Advocatus possit causam patrocinari in favorem illius, pro quo stant minora motiva, & rationes, ac minus probabilia jura.

Licèt ex huc usque resolutis manifestè inferatur responsio ad hoc Quęsitum, cum universaliter probaverim, nemini licere in praxi amplecti opinionem minùs probabilem, in conflictu, & relictâ oppositâ probabiliori: Nihilominus quia Vuigandt, *Tribun. Confessar. tract. 2. exam. 3. n. 35.* ab hac regula communi videtur excipere Advocatum, quod utique approbare nequeo, nec mihi apparet consonum probabilioristicę Doctrinę, idcircò

Respondeo, quod si Advocatus post pręviam, & sufficientem diligentiam in perpendendis rationibus sui Clientis clarè cognoscit, eas esse minus probabiles (ac pręcipuè si notabiliter) quam sint rationes, & motiva partis adversę, nec spes effulgeat, quod in causæ discussione apparere possint probabiliora, vel saltem æquè probabilia motiva ex parte, quam tuendam assumit, nullo modo potest licitè causam patrocinari: Secus verò si non ita clarè constet major probabilitas ex parte adversa, & adsit spes, ut per studium, & meritorum causæ elucidationem constare possint solidiora fundamenta ex parte, quam tuetur. Ita ferè, quo-ad omnia Resolutionis membra, sustinet Petrucci, *Lucer. mor. c. 7. §. 1. n. 44. & seq.*

Dixi *post præviam, & sufficientem diligentiam*: Quia nequit Advocatus absque ulla causę precisa ponderatione, eam in judicio Fori suo patrocinio sistere; aliàs expo-

poneretur manifesto periculo causam iniustè defendendi, adeoque lædendi justitiam, & expensis indebitè gravandi utramque partem. Debet ergo ante quamcumque judicialem actionem, merita causæ aliqualiter penetrare. Hoc veluti supposito;

Prima pars responsionis probatur: Quia aliàs Advocatus cooperaretur iniustæ actioni, & se exponeret probabiliori periculo expensis damnificandi tam suum Clientem, quam partem adversam, habentem potiora merita, & jura; ac proinde utrique iniuriam faceret: Ergo non potest licitè &c. Quocirca, sicuti contra justitiam delinqueret, & ad restitutionem teneretur Judex in ferenda sententia contra eum, pro quo starent meliora jura, & fortiores, ac probabiliores rationes: Ita pariter Advocatus in defendenda causa, secundum ejus rationes minus probabiles in conflictu, & ab ipso cognitas ut tales.

Secunda pars etiam probatur: Quia illa probabilitas in favorem causæ, quæ Advocato patrocinanda exhibetur, non ita clarè cognita ut minor in conflictu, una cum proxima spe, quod validiora motiva, & probabiliores constabunt rationes pro Cliente, est sufficiens fundamentum, ac rationabile motivum, ut Advocatus possit causæ defensionem assumere æquè ac Advocatus alterius partis; ad hoc enim instituta sunt Tribunalia, ut obscura per discussionem, & Fori examen dilucidentur: Ergo in hoc casu licitè potest Advocatus &c.

Quod si inter actionem clarè videat majorem probabilitatem in favorem partis Adversæ, debet a patrocinio causæ se subtrahere. Tunc enim est moraliter certus de illius iniustitia ex parte sui Clientis, quem proinde tene-

tur admonere, ut ab actione desistat, vel aliquam curet compositionem *sine adversarii damno*, ut ait D. Th. 2.2. *q.* 71. *a.* 3. *ad* 2. Ubi, & per totam quæst. plura de Advocato possunt videri.

Obiicies primò ex Vuigandt. Advocatus in tuenda causa gerit vicem Actoris: Sed Actor habet Jus in foro externo exponendi suas rationes probabiles: Ergo licitè potest hoc facere per suum Advocatum; *Potest* enim *quis per alium, quod potest facere per se ipsum*, ut habet Juris reg. 86. in 6.

Respondeo, nec Actorem posse litem promovere ex motivis, & juribus sibi manifestè notis ut minus probabilibus in conflictu, & absque spe ut supra. Ratio est eadem ac de Advocato.

Obiicies secundo ex eodem. Causa, quæ a principio videbatur minus probabilis, in decursu litis sæpe fit probabilior, adinventis novis Scripturis, testibus, aut aliquâ adversæ partis confessione, vel visis, & ponderatis aliis Juris Capitulis: Ergo licet eam defendere.

Respondeo, ex hoc argumento solùm roborari secundam partem nostræ responsionis.

XVII. Quæres quartò: An Subditus in dubiis opinionum teneatur Superiori obedire.

Respondetur primò, quod Subditus dubius de facultate, seu auctoritate Superioris, videlicet, an illam amiserit, vel an extendatur ad rem præceptam, quamvis licitam, tenetur obedire. Et ratio est pr.mò: Quia nemo potest jurisdictione, quam possidet, privari, nisi juridicè, ac per Sententiam Judicis: Ergo etiamsi dubitetur, an Superior auctoritate polleat ad præcipiendum, vel an res præcepta, & licita intra limites jurisdictionis con-

contineatur, tenetur Subditus [*per se* loquendo, & non solùm *per accidens*, idest ratione scandali, notabilis damni &c. & etiam si post adhibitam diligentiam adhuc dubius remaneat) suo Superiori obtemperare. Secundò: Subditus in tali dubio renuens obedire, exponit se periculo defraudandi suum Superiorem obsequio fortè illi debito; Si verò obtemperet, nulli fit iniuria, nec alicui damnum infertur: Ergo id quod prius. Ita Mercorus *ubi sup. a.* 18. & alii.

Nec obstat primò ex Vasquesio ap. eundem Mercorum, quod nemo censeatur, nec sit Subditus, nisi Superior verè sit Prælatus, cum hæc duo sint correlativa; adeoque neminem teneri alteri obtemperare, nisi certus sit, quod alter supra se authoritatem Superioris ad præcipiendum habeat.

Non, inquam, obstat. Siquidem in recensito dubio Subditus cogitur obedire, non ex motivo suæ certæ subiectionis, sed ad evitandum periculum defraudandi proximum in re, quæ fortè illi debetur, ut nuperrimè dictum est.

Nec obstat secundo ex Pasqualigo *Decis.* 219. *n.* 2. quod sicuti nemo tenetur alteri debitum solvere, nisi sit certum: Ita nec Subditus debitum obedientiæ alteri præstare, nisi certò constet de sua erga illum subiectione, adeoque nisi certa sit Superioris jurisdictio.

Nam ideo primum, quia nulla datur præsumptio, quod quis aliquid alteri debeat, nisi debitum sit liquidum. At e contra in secundo; quia semper præsumitur, quod Subditus verè sit Subditus, adeoque teneatur alteri obedire, cum adhuc stante præfato dubio, præsumatur in Superiore auctoritas præcipiendi: Quapropter

pter est dispar ratio.

Respondetur secundò ad Quæsitum, quod Subditus positivè dubitans de honestate rei præceptæ, si post factam diligentiam, etiam per Viros doctos, adhuc dubium ejus perseveret, debet illud deponere, ac humiliter obedire. Si autem cum tali dubio certò cognoscat etiam Prælatum suum dubitare de re, quam præcipit, non debet, nec potest obtemperare.

Ratio primæ partis est: Quia in dùbio positivo [in negativo enim, quando videlicet non constant motiva, quæ licitam ostendant materiam præceptam, certum est, debere Subditum obedire, cum ad ipsum non spectet examinare causam præcepti, aliòquin maxima daretur confusio in populorum regimine) debet Subditus hoc judicium practicum efformare, quod Superior, aliàs probus, ac sufficienter doctus, ut supponimus, & insuper, ac præcipuè, Dei, cujus vices gerit, patrocinio fultus, non-nisi honesta præcipiat, & ea, quæ ipse certa existimaverit, ac proinde Authoritas sui Prælati est sufficiens motivum ad hoc, ut possit prudenter conscientiam deponere, illamque juxta præceptum efformare: Nisi manifestè ratio illiciti appareat. Et si fortè errare contingat, error ipsi non imputabitur ad culpam, ut manifestè habetur ex D. Aug. relato in Decretis 23. *q*, 1. Cap. *Quid culpatur*.

Idem dico, propter eandem rationem, quando Subditus non solum est dubius, verum etiam probabilius judicat, materiam præcepti esse illicitam. Nam etsi tunc nequeat in sensu composito, & retinendo suam conscientiam, obedientiam præstare, [quia Deo magis obedire oportet, quam hominibus (potest nihilominus, ac de-

debet judicium suum prudenter modo dicto deponere, nullatenus dubitando de honestate præcepti, & positivè se conformando Superioris judicio.

Ratio secundæ partis est: Quia in dubiis opinionum debet unusquisque tutiorem partem eligere, seu illam, quæ periculo vacat legem violandi: Ergo sicuti Prælatus non potest licitè præcipere, quod non tutum judicat, ita nec Subditus potest ei obedientem se præbere in iis actionibus, de quarum liciti tate certò cognoscit Prælatum suum dubitare; aliàs sola probabilitas unius opinionis esset motivum sufficiens ad deponendum dubium practicum, quod habetur ex probabilitate opinionis oppositæ; quod tamen est falsum, ut constat ex supradictis. Videri possunt de materia hujus Quæsiti nostri DD. ac præcipuè Beatus Umbertus de Romanis, Quintus Magister Generalis Ordinis *lib. 5. de Erud. Religios.* Petrucci, *ubi sup. n. 31. & seqq.* Vuigandt, *lo. cit. n. 34.* & alii.

XVIII. Quæres quintò, quænam Sententia necessariò eligenda sit in Sacramentorum administratione.

Respon. Circa eorum essentialia, nempe materiam & formam, non esse licitum [extra casum necessitatis] sequi opinionem probabilem, scilicet incertam, ac dubiam, relictâ tutiore, idest certâ, ac tutâ. Oppositum hujus responsionis damnatum fuit ab Inn. XI. in prima ex 65. propositionibus ab ipso proscriptis, quæ sic dicebat: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore &c.* Et ratio est: Tum ob reverentiam sacramentis debitam, & ad evitandum periculum nullitatis eorum, quod adesset, certis incerta præferendo. Tum etiam subinde, ne Sa-

Sacramentum ſuſcepturus probabiliter privatur fructu ipſius, ac damnum ſuæ ſalutis, aut ſaltem ſpiritualis profectus incurrat. Tum denique, quia Sacramentorum valor debet in his rebus fundari, quæ ſunt a Chriſto inſtitutæ, & juxta communem Eccleſiæ uſum, non autem in probabili hominum opinione: Peccaret igitur graviſſimè, ac ſacrilegè, qui in Sacramentis conficiendis uteretur materiâ, vel formâ dubiâ, omiſſâ tutiore, utpote faciens contra Sacramentorum Inſtitutorem, ejuſque intentionem, nempe, ut Sacramenta fiant per appoſitionem materiæ, ac formæ certæ ab ipſo determinatæ.

Hinc non licet in Sacrificio Miſſæ vinum conſecrare cum illis tantummodo verbis: *Hic eſt calix Sanguinis mei*, vel *Hic eſt Sanguis meus:* Quia etſi, ſpeculativè loquendo, probabilior immo, & vera cenſeatur a pluribus Theologis, præſertim Recentioribus, [quibus ego ſubſcribo,] ſententia, quæ affirmat, ſolùm prædicta verba eſſe de eſſentia formæ; Quia tamen non eſt certa, ſed dubia, cùm oppoſita propugnetur a multis etiam Thomiſtis, [quia diſcipuli D. Th. inter ſe diſſentiunt in intelligentiâ Textus ejuſdem S. D.) & Eccleſiæ uſus eſt, ut ſubſequentia etiam verba, nempe, *novi, & æterni Teſtamenti &c.* in conſecratione calicis eodem modo proferantur, proinde non eſt licitum, forma tutiori relictâ, oppoſitam Sententiam in praxi eligere, tametſi probabiliorem, ſed non tutam.

Addo, nec etiam licere in Sacramentis conficiendis ſequi opinionem probabiliſſimam, & certam de ipſorum valore, ſi ea non ſit juxta praxim, & conſuetudinem Eccleſiæ. Nam in re tanti momenti nemo poteſt, abſque lethali culpa, Eccleſiaſticas Leges, & uſus pro

ſuo

suo libito declinare. Unde licèt ad conficiendam Eucharistiam sit ex se materia sufficiens, & apta panis siligineus, ut expressè tradit communis Doctor 3. *p.* *q.* 74. *a.* 3. *ad* 2. Nihilominùs non licet eo in consecratione uti, propter rationem adductam.

Dixi in responsione; *extra casum necessitatis*. Nam gravissimâ, & extremâ instante necessitate, ac ubi salus animæ periclitaretur, non esset illicitum adhibere materiam probabilem, aut dubiam, nulla alia tutiore existente. Ita communiter Authores docent, *& praxis Ecclesiæ testatur*, ait Vuigandt, *tract.* 2. *exam.* 3. *n.* 26. Et patet in moribundo, qui potest conditionatè absolvi, si præbeat signa dubia doloris, & Confessionis. Et ratio est: Tum quia non est contra reverentiam Sacramentis debitam, animæ periclitanti subvenire dubiè per appositionem materiæ incertæ, nullâ certiori, seu certâ existente, in casu quo, nisi id fieret, aliquis æternum fortè periret. Tum etiam, quia ex duobus malis minus est eligendum: Si igitur ex una parte dubitetur de invaliditate Sacramenti propter materiam dubiam, & ex altera salus animæ periclitetur, nisi continuò illi subveniatur omni possibili modo, eligendum est ut minus malum, Sacramentum ministrare: Quia tunc ipsum Sacramentum veluti cedit juri suo, & quodammodò permittit postponi ejus validitatem animarum saluti, propter quam a Deo institutum est.

Verum tamen est, etiam in dicto casu necessitatis, stante materia dubia, Sacramentum esse administrandum sub conditione, E.G. his verbis: *Si es capax, ego absolvo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, Amen*. Quod etiam faciendum est, quamvis materia

juxta ſententiam probabiliorem eſſet apta ad conficiendum Sacramentum. Unde licèt probabilior ſit opinio affirmans, aquam ſalis eſſe materiam Baptiſmi: Nihilominus, cum non ſit omnino certa, ſed propter conflictum alterius opinionis oppoſitæ minus probabilis, poſſit eſſe falſa, idcirco Sacerdos ipſam eligens, poſſet moraliter ſuſpicari de invaliditate Sacramenti; adeoque ſicuti extra caſum neceſſitatis non poſſet tali materia uti, ita ob reverentiam Sacramento debitam, nequit eam neceſſitate urgente, adhibere, niſi appoſita conditione. Mercorus *par. 2. a. 3.*

XIX. Dixi ulterius, *circa Sacramentorum eſſentialia, nempe materiam, & formam*. Nam ſi agatur de Juriſdictione, [quæ aliàs neceſſariò requiritur in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, non deſunt, qui aſſerant, poſſe Sacerdotem, ad abſolvendum in gravi neceſſitate uti juriſdictione ſolum probabili, ideſt, quam probabiliter putat ſe habere, licèt re-vera non habeat. Ita Petrucci *Luc. mor. c. 7. §. 1. n. 63.* Vuigandt *lo. prox. citando & tract. 13. exam. 1. n. 91.* ubi adducit Gonet, & alios. Et ratio ipſorum eſt: Quia eatenus non licet [excepto caſu extremæ neceſſitatis) in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem circa materiam, & formam, quatenus tunc Miniſter exponitur periculo nullitatis Sacramenti: Cum enim materia, & forma dependeant ab inſtitutione Chriſti, non autem ab Eccleſia, ejuſve conſenſu, non poteſt per eam ſuppleri ipſarum defectus. Cæterum Juriſdictio ab Eccleſia dependet, ab eaque ſuppletur, ac tribuitur Sacerdoti in caſu gravis neceſſitatis, quo illam exiſtimat probabiliter ſe habere.

Ad hoc tamen ut Sententia iſta firma, & vera eſſe poſ-

possit, & Sacerdos in gravi necessitate absolvere valeat, exigitur, ut probabilitas, quam habet de sua Jurisdictione, non sit oppugnata per aliam probabilitatem oppositam majoris, vel æqualis roboris (ut colligo ex Vuigandt *ubi ante*, ac ex Petrucci *d.* §. 1. *n.* 63. & pat. ex dictis]: Aliàs in eo casu judicandum erit, ac si Pœnitens, in tali gravi necessitate Confessionis constitutus, nullum haberet Confessarium; juxta doctrinam Mercori, a me approbandam in Tractatu de Pœnitentia. Et ratio est: Quia mera probabilitas non dat jurisdictionem: Nulla enim lex, nullumque fundamentum adest aliter asserendi, ut advertunt idem Mercor., & Pisani *Ged. glad. prop.* 1. *n.* 12. ubi adducit etiam Ludovicum Minutulo. Et eatenus, gravi urgente necessitate, Sacerdos probabilius, ac certò moraliter putans jurisdictionem habere, licèt revera ipsam non habeat, validè absolvit, quatenus Ecclesia censetur, eam tunc supplere, ac tribuere, ut gravi subveniat Pœnitentis necessitati; existente aliàs in Sacerdote bona fide, ac invincibili ignorantia de reali carentia jurisdictionis: Ergo si Sacerdos non sit in bona fide, sed dubitet de sua jurisdictione, idest si habeat de illa probabilitatem ab alia opposita (& præcipuè majoris roboris] oppugnatam, non videtur, in sola gravi necessitate Pœnitentis, ab Ecclesia jurisdictionem recipere.

Sed adversus hanc limitationem, & disparitatem in ejus probatione allatam, sic insurgo. Nam videtur gratis adduci; quod sic ostendo. Si opinionum probabilitas non dat jurisdictionem, nil refert, quod sit major, vel minor probabilitas, scilicet oppugnata, vel non; neutra enim jurisdictionem dabit Sacerdoti, cum utraque probabilitatis limites non excedat. Et similiter si

Ecclesia in gravi Confessionis necessitate non dat jurisdictionem Sacerdoti dubitanti de illa, & habenti probabilitatem in conflictu alterius oppositæ, nec dabit talem jurisdictionem, etiamsi Sacerdos probabilius putet eam habere, si a parte rei eam non habet: Vel si dat in uno casu, etiam dabit in alio, cum in utroque adsit gravis Confessionis necessitas, cujus intuitu asseritur suppleri, & conferri ab Ecclesia jurisdictionem: Ergo præfata limitatio, ejusque probatio gratis, & absque fundamento adducuntur.

Si respondeas ex quorundam doctrina, [inter quos Petrucci, & Vuigandt *nn. praalleg.*] non sufficere solam probabilioritatem Sacerdotis ad hoc ut ei, gravi urgente necessitate, ab Ecclesia tribuatur jurisdictio, sed insuper requiri titulum coloratum, seu putativum Confessarii, aut Parochi, a legitimo Superiore collatum, & simul errorem communem populi; tunc enim præsupponitur, illi Sacerdoti Ecclesiam conferre jurisdictionem, ut ferè communiter asserunt DD. ex l. *Barbarius ff. de Officio Prætoris*, ubi habetur, facta per Judicem non legitimum tenere, simul concurrentibus titulo, & errore communi.

Contra est. Nam quando stant simul titulus coloratus, & error communis, aut plerumque putantium (erroneè tamen) titulum esse legitimum, Ecclesia supplet, & confert jurisdictionem [non quidem habitualem, sed actualem, & ad singulos actus) nedum Sacerdoti habenti de illa probabilitatem ab alia æquali, vel majori non oppugnatam, (etsi a parte rei talis Sacerdos jurisdictione sit privatus,] verùm etiam illi, qui, nulla existente Confessionis necessitate, certò scit, se juris-

di-

dictionem non habere; quamvis hoc a populo non cognoscatur, quia invincibiliter putat, adhuc subsistere titulum Beneficii, aut Confessarii. Et hanc jurisdictionem ideò præsumitur ab Ecclesia in hoc eventu conferri, ut animarum saluti provideat, & invincibilis ignorantia nemini officiat; etsi graviter peccet Sacerdos, qui nullitatis suæ jurisdictionis conscius, Sacramentum Pœnitentiæ ministrat. Ergo si quis, gravi urgente necessitate Confessionis, potest absolvere cum suæ jurisdictionis opinione probabili, ab alia opposita æquè probabili non oppugnata, non erit necesse ut adsit error communis, ac titulus: Aliòquin nullum esset discrimen inter absolventem cum scientia nullitatis suæ iurisdictionis, & absolventem cum probabili eiusdem iurisdictionis opinione, sine alterius æqualis, vel maioris conflictu, quod tamen non videtur dicendum.

Has difficultates procul-dubio non evitat prædicta sententia. Nihilominùs admissâ responsione ad obiectionem factâ,

Ad replicam contra illam, dico, inter eum, qui cum titulo colorato & comuni errore, sciens carere a parte rei necessaria iurisdictione, Pœnitentem absolvit, & eum, qui cum eiusdem titulo & errore, ac etiam cum suæ jurisdictionis probabilitate sine conflictu alterius, absolutionem impedit, hoc adesse discrimem: Quod primus ex his sacrilegè delinquit, secus vero alter; tametsi uterque valide absolvat, ut communiter docent Auctores. Cæterum, quod absque putativo titulo & communi errore sufficiat sola probabilitas, etiam non-oppugnata &c. nullum omnino datur sufficiens fundamentum ad præsumendum, quod Ecclesia vere juris-

di

dictionem suppleat in eo, qui cum sola dicta probabilitate Sacramentum ministrat, si a parte rei jurisdictionem non habet; quia probabilitas inefficax est ad dandam eam jurisdictionem, ut vidimus. Ultra quod, est impossibile quempiam habere posse de sua jurisdictione ad absolvendum probabilitatem absque morali formidine de opposito, quin saltem gaudeat titulo colorato Confessarii, ut consideranti patet. Sed non sufficere solum titulum absque communi errore, certum videtur ex iam dictis. Quod si quis affirmet, satis esse cum probabilitate ac titulo, errorem solius Pœnitentis, videat ipse quâ ratione possit hoc solidè probare: Mihi siquidem nil certi usque modò apparet.

Hinc non subsistit quod docet Cardenas *Cris.Theol. p.* 4. *dissert.* 2. *c.* 6. *a.* 6. ubi cum aliquibus Probabilistis asserit, absque communi errore Ecclesiam supplere iurisdictionem, quotiescunque Confessarius utitur opinione verè probabili de sua jurisdictione. Nec Textus illi, quos allegat idem Cardenas *ib. n.* 161. ullum ipsi suffragium prestant. Cum enim in eis solum sermo sit de consuetudine, non verò de probabilitate, & consuetudo in his, quæ ad legem humanam pertinent, quomodocunque fuerit ab initio introducta, si temporis decursu a Principe supremo expressè, vel saltem tacitè approbetur, vim legis habeat, tunc superexcedit limites cujuscumque probabilitatis, & fit æquivalenter lex certa. Sola autem Confessarii probabilitas unde-nam legis vigorem assumpsit? Forsan-ne ex ipsa consuetudine, ac praxi absolvendi, in vi juridictionis probabiliter præsumptæ, quam consuetudinem esse universalem in Ecclesia, & omnium Fidelium, testantur Suarez,

rez, Lugo, Arriaga, Diana, et Bonacina? (ita ap. eundem Cardenam *nn.* 165. 166. *et seqq.*) At quam falsum assumptum! Dicant, eam consuetudinem esse apud Confessarios, & DD. Probabilistas, & forsan verum dicent. Verum Probabilistarum coetus, non universalem Ecclesiam, sed minimam eius partem constituunt, ut ex antedictis §. 1. notissimum est.

XX. Collige secundo ex dictis non esse licitum, respectu ejusdem intellectus, sequi opinionem probabilem faventem libertati, quando tuta non est, concurrente actualiter, ac relicta sua contradictoriè opposità minus probabili, sed tuta, & stante pro præcepto.

Nimis durum aliquibus forsam videbitur hoc consectarium: At inconcussum est et infallibile, supposita veritate doctrinæ supra traditæ. Siquidem hoc evincunt ferè omnes Authoritates in fàvorem Probabilioritatis adductæ. Unde qui eam defendunt, nequeunt corollarium istud, tanquam ipsius necessarium consequens, non sustinere. Videantur de hoc specialiter Antonius Charlas *cap.* 21. *ac tribus seqq.* & Mercorus *Bas. Theol. mor. par.* 2. *a.* 7. *& p.* 3. *a.* 6.

Adhæret certissimè S. Thomas, qui, ut vidimus, ad prudenter, licitè, ac tutò operandum, requirit quod absit non solum dubium rigorosè sumptum, sed etiam quælibet moralis formido de opposito: Aliàs operatio non erit absque periculo Legem perrumpendi. Quis autem non videat, quod in sequela opinionis probabilioris faventis libertati, & habentis in sui conflictu contradictoriam minus probabilem stantem pro lege, quæ adhuc probabilis remaneat, adest moralis formido transgrediendi Legem, etsi probabilius sit, Legem violandam

non

non esse?

Quocirca Adrianus VI. Summus Pontifex, postquam ex Authoritate D. Thomæ *quodl.* 8. *a.* 13. ostendit, nomine dubitationis Sanctum Doctorem sumere in hac materia quamlibet hæsitationem, aut fluctuationem, impedientem firmiter uni parti adhærere, & non dubium propriè, seu rigorosè dictum consistens in æquilibrio, adeoque de mente ejusdem Sancti Doctoris, non esse licitum sequi opinionem etsi probabiliorem, quotiescumque remaneat de opposita formido aliqua, (ex motivo aliquo gravi, seu probabili orta, & non ex solo scrupulo,] an Lex naturalis, vel Divina violanda sit, ita concludit: *Manifestè videtur, quod juxta B. Thomæ Sententiam, quamvis magis credat, vel existimet, partem, quam sequitur, esse veram; Si nihilominus propter contrariam opinionem aliqua dubitatione moveatur, non licet ei propter discrimen hoc operari, supposito etiam, quod nullum ibi sit discrimen ex parte rei, sed veritas.* Et postea subdit: *Confirmo hoc: Ponamus exempli gratia: Medicus magis æstimat patienti suo vinum mortem inferre non posse, de quo tamen propter aliorum contrariam opinionem dubitat: Nihilominus ut experiatur, concedit Ægro vinum, & interficit. Nullus dubitat, apud districtum Judicem hunc reum teneri; & non alia de causa, quam, quod Ægrum periculo mortis exposuit: Etsi enim mors secuta non fuisset, ipse nihilominus æquè reus fuisset: Ergo non licet agere partem dubiam, quæ MAGIS ÆSTIMATUR VERA. Quod si hoc periculum minus verisimile reprobamus in Medico quoad mortem corporis, longè magis repudiandum est consimile periculum mortis animæ. Quod si alicui videatur, Medicum non deliquisse, & tamen talis Medici manibus nollet suam sani* ta-

tatem committere, nihil aliud videtur, quam probare circa alium, quod damnaverit erga se ipsum &c. Cum in probabilibus dubiis qualibet pars sit verisimilis, sicut & probabilis; LICET ALTERA PARS SIT PROBABILIOR, ET VERISIMILIOR, &c. Hæc, & alia plura videas ap. prælaudatum Charlas, præsertim *cap.* 24.

Quod autem D. Thomas congruè, & rationabiliter utatur nomine dubitationis pro qualibet morali formidine, seu pro defectu assensus stabilis, ac certi, ex eò constat, quod dubium rigorosè sumptum, & prout importat suspensionem assensus ex æquilibrio motivorum rarissimè contingit, ut experientia docet, & est veluti casus Metaphysicus. Unde quando a Sacris Canonibus formatur illa regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*, sermo agitur de dubiis, quæ ut plurimum contingunt: Nam leges sunt de his, quæ frequenter, & ut in pluribus accidunt, quibus consulere volunt, nec considerant quæ rarò contingunt, ut colligitur ex Digestis *lib.* 1. *tit.* 3. *de Legibus l.* 3. 4. 5. *&* 6. nec-non ex Phil. *l.* 5. *ethic. c.* 10. ubi ait: *Lex id accipit, quod fit plerumque*. Quapropter ille verè dicitur dubius, qui moraliter hæsitat de una parte contradictionis, etsi alteri magis adhæreat.

Hinc effulget præcipua ratio *in* §. 3. abundè discussa. Pro qua supponimus, quod opinio minus probabilis, adhuc stante probabilioris excessu, remaneat verè probabilis, ejusque motiva adhuc sint gravia, & urgentia, etsi minus quam opposita: Si enim excessus probabilioris esset valde notabilis, tunc ejus opposita non esset amplius probabilis, quia comparativum supponit positivum, & per consequens non essemus in casu, de quo nunc loquimur. Hoc supposito sic ratiocinari oportet.

Eligens in præsenti casu partem probabiliorem, & habens de opposita minus probabili actualem formidinem moralem propter illius motiva adhuc urgentia, & gravia, est hic & nunc, saltem aliqualiter, & sufficienter, dubius moraliter de honestate, & licititate suæ operationis: Quia cognoscit, & prudenter judicat, se in eo, quod agit, probabiliter, esto minùs, a Lege recedere: Ergo si hoc non obstante, liberè, & absque ulla necessitate, vult operari, periculo contra Legem agendi se exponit: Ergo peccat. Siquidem ex instinctu naturæ, ac dictamine conscientiæ, nedum ex Divino Præcepto, [ut ex supradictis liquet,) tenemur omne id cavere, in quo cognoscimus, & prudenter judicamus, adesse periculum Legem transgrediendi. Quapropter ad hujusmodi periculum evitandum, necessum est, parti minùs probabili, sed tutiori, idest simpliciter, ac unicè tutæ adhærere, probabiliori relictâ, quæ tuta non est.

Dices: Nos usque modò sustinuimus, & probavimus, in concursu opinionum non esse ab intellectu eligibilem minùs probabilem, relictâ probabiliori: Cur ergo in præsenti oppositum edocemus?

Sed hoc nihil est. Nam ideò per totum fermè hunc Tractatum docuimus, probabiliorem in conflictu semper eligendam esse, ac juxta illam conscientiam efformandam, itaut aliter non possit prudenter fieri, quia ex una parte, ut probabilior est, habet fortiora motiva, inclinantia intellectum in ejus assensum, adeòque in dissensum suæ contradictoriæ minus probabilis, & ex altera, cum sit conformior Legi, ac tuta, est immunis ab omni periculo Legem transgrediendi: Neutrum autem habet opinio minùs probabilis favens libertati, concurren-

rente sua contradictoria probabiliori, stante pro Præcepto. Cæterum in quæstione hujus Consectarii, estò pars probabilior in conflictu minus probabilis habeat urgentiora motiva, quæ probant eam esse veriorem, seu verosimiliorem, (qua ratione denominatur probabilior); Nihilnminus, quia tuta non est, ex hoc, quod non excludit omnem moralem formidinem operandi contra Legem, bene verò tuta est ejus contradictoria minùs probabilis favens Legi, & a qua, seu a cujus motivis eadem pars probabilior redditur dubia, & incerta, proinde liberè operaturus non potest actu operari eligendo partem probabiliorem, nisi velit se periculo exponere contra Legem agendi, sed debet ab operatione abstinere, ut sit omnino certus, se Legem servaturum; non in quantum adhæret opinioni sibi certæ quò ad veritatem, (nam nec probabilior, nec minùs probabilis est hoc modo omnino certa, sed incerta,) sed quia eam partem eligit, in qua, non obstante ipsius incertitudine ob contrarietatem oppositæ probabilioris, nullum adest periculum faciendi contra Legem. Exemplum sit de Venatore, qui probabiliùs putat id, quod in Sylva movetur, non esse hominem, sed tamen etiam probabiliter, licèt minùs, existimat esse hominem. In hoc siquidem eventu non potest Sclopum evacuare, aliòquin se exponeret periculo occidendi hominem, ac transgrediendi quintum Decalogi Præceptum, & per consequens mortaliter peccabit. Idem ergo prorsus, propter eandem rationem ad evitandum scilicet periculum faciendi contra Legem, servandum est in dubio juris, (ut vidimus cum Adriano VI.) & quandocumque in conflictu opinionum, una, quæ consona est legi, minùs probabilis est, sed tuta, al-

tera verò,quæ libertatem fovet, est probabilior, sed non immunis a periculo transgrediendi Legis Præceptum; quamvis utraque sit incerta, quoad sui veritatem, etiam respectu ipsius operantis, ut dictum est. Vide clarissimum exemplum in materia juris, & opinionum, infra in hoc num. Vers. *sit exemplum*.

Dices iterum: Juxta superiùs adducta §. §. 3. & 4. quilibet excessus opinionis probabilioris supra minus probabilem, istam reddit in conflictu improbabilem, quatenus suo pondere eam deiicit a sua probabilitate, quam secundum se, ac absolutè habebat: Ergo opinio minùs probabilis stans pro Lege, concurrente probabiliori favente libertati, non potest retinere sua motiva actu urgentia, & gravia, itaut relinquant eam in concursu, & exercitè adhuc probabilem: Ergo bene poterit quis in tali casu opinioni magis probabili tanquam tutæ adhærere, tametsi propriæ libertati consentaneæ, parvipendendo opinionem minus probabilem, licèt in favorem Legis, & magis tutam.

Respondeo, verum esse, quod quilibet excessus opinionis probabilioris, *stantis pro lege*, [ut supra expressè, ac signanter docui,] reddit oppositam opinionem, faventem libertati, actu improbabilem in ordine ad praxim, non verò quilibet excessus opinionis probabilioris, quæ stat pro eadem libertate, potest reddere prædicto modo improbabilem eam,quæ militat pro lege. Ratio diversitatis, ac disparitatis est: Quia (ut ægregiè notat Mercor. *Bas. Theol. mor. par. 3. a. 6.*) regula eligendi opiniones in praxi non est earum præcisa probabilitas major vel minor, utcumque accepta, sed probabilitas cum exclusione periculi, & omnis moralis formidinis

nis Legem transgrediendi, & peccandi. Et quia quando opinio stans pro libertate, parùm excedit in probabilitate suam oppositam faventem Præcepto, non est totaliter immunis a periculo peccandi, nec excludit omnem moralem formidinem Legem transgrediendi, quamvis magis accedat ad veritatem, & certitudinem quàm sua opposita, hinc est, non posse esse rectam operandi regulam, nec in praxi eligibilem ut sufficienter probabilem in exercitio, idest probabilitate ad operationem necessariâ, & quæ debet semper, & omnino excludere prudentem, ac moralem formidinem Legem frangendi, importare judicium firmum, & non vacillans de licititate, ac honestate operationis.

Sit exemplum. Everardus versatur inter duas opiniones de venatione in die festo exercenda: Quarum una, quam aliquantulùm probabiliorem judicat, asserit esse licitum venari tali die; altera verò, quam putat in illius conflictu minùs probabilem, affirmat non esse licitam venationem. Utraque sibi est subiectivè quò ad veritatem incerta (quidquid sit de his opinionibus secundum se, vel respectu aliorum): Nihilominus quia prima opinio non obstante majori accessu ad veritatem & certitudinem, non est sibi omnino & sufficienter tuta, cùm habeat moralem formidinem de licititate suæ operationis propter conflictum secundæ opinionis, minùs quidem probabilis, & minus certæ, imò aliqualiter potiùs falsæ quam veræ, sed tamen simpliciter & omnino tutæ, idcircò nequit illam amplecti & istam reiicere, sed debet a venatione abstinere, non quia secunda opinio sit sibi moraliter certa quo ad veritatem, nam de ipsa talem certitudinem non habet, sed quatenus eam

eam cognoſcit unicè tutam; alias ſe exponeret periculo contra legem agendi, & conſequenter peccabit.

Quando verò opinio ſtans pro libertate, ita eſt probabilior, ut ſit vel unice probabilis in concurſu, vel ſaltem valde ac notabiliter probabilior ſuâ oppoſitâ ſtante pro lege, tunc ita fit moraliter certa, ut omnem prorſus excludat moralem, & prudentem formidinem, ac periculum legem traſgrediendi, adeòque ſit ſimpliciter, ideſt ſufficienter tuta, eſtò minus ſuâ condictoriè oppoſitâ, & proinde licitè ac tuto eligibilis evadit. E. G. Aliqui ex antiquis aſſerebant, poſt commiſſum peccatum lethale ſtatim eſſe confeſſionem faciendam ſub præcepto: Divus autem Thomas, quem ſequuntur communiter Auctores, docet non adeſſe talem obligationem. Prima opinio procul-dubiò eſt magis tuta, quia ſtat pro lege, & eſt totaliter immunis a periculo peccandi, etiam ſolum materialiter. Secunda verò eſt minùs tuta, cum faveat libertati: Quia tamen eſt valde, ac notabiliter probabilior alterâ, itaut in illius conflictu ſit unicè probabilis, ac vero-ſimilis, & certa moraliter, cum motiva, & rationes ſuæ oppoſitæ ferè nihil urgeant in concurſu, idcircò eſt ſimpliciter tuta, eſtò minùs, ſua contradictoria in favorem legis.

Ex quibus habetur quod etſi opinio in conflictu ſolum aliquantulum & parùm minus probabilis ſuâ oppoſita aliquantulum probabiliori, ſive ſtans pro lege, ſive favens libertati, non retineat propria motiva actu urgentia ad flectendum intellectum in ſui aſsenſum, ex ea parte, quâ *præciſè* accedunt ad veritatem, cum prout ſic potiùs a veritate aliquantulum declinent magis quàm motiva opinionis oppoſitæ, & intellectus ne-

nequeat de alterutra tunc opinari, non minus, aut ferè ac si esset constitutus in æquilibrio & in dubio rigorosè sumpto, iuxta superius resoluta §. 3. *nn.* 3. *et* 4. Ex ea tamen parte, quâ motiva & rationes opinionis aliquantulum minùs probabilis, stantis pro Præcepto, habent probabilitatem *talem*, scilicet cum exclusione cujuscumque prudentialis timoris, ne fortè sit malum & peccatum iuxta illam operari, [quam probabilitatem nuper dixi necessariam esse ad licitè operandum; & quam non habet opinio parùm minùs probabilis libertatem fovens, concurrente probabiliori stante pro lege,] dicuntur adhuc in conflictu urgere operaturum, non quidem ut assentiatur illi opinioni tanquam certæ quò ad veritatem, sed ut illam, tanquam unicè tutam, in operando amplectatur.

XXI. Collige tertiò, quomodò intelligenda sit damnatio illius propositionis die 7. Decembris 1690. ab Alex. VIII. inter 31. tertio loco proscriptæ: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. Cum enim quandoque non possimus omnimodam & infallibilem rei certitudinem habere, sat est, si debitâ humano modo adhibitâ diligentiâ ad consequendam veritatem, id operemur, quod prudenter ac probabiliter, & à fortiori *probabilissimè* putamus honestum, ac nullatenus dissonum a lege. Tunc enim habemus illam possibilem certitudinem, quæ est sufficiens ad prudenter flectendum intellectum nostrum in assensum, ita ut simus moraliter tuti, ne lex violanda sit. Et quàmvis cognoscamus, quòd, absolutè loquendo, res aliter esse potest [alioquin non opinionem haberemus, sed scientiam et evidentiam), quia tamen ita esse gravissima argu-

gumenta convincunt; nec ullum obstat grave motivum in oppositum, idcircò possumus firmiter obiecto cognito adherere, et non-nisi ex imprudentia trepidare ubi non est timor. Hoc autem non verificatur, si in conflictu ejus, quod opinamur, extet opinio æquè vel magis probabilis in favorem legis, ut ex supradictis innotescit. Unde ex condemnatione præadductæ propositionis nequeunt adversarii ullum in sui favorem sperare, nedum decantare patrocinium.

Insuper dico, præfatum Decretum condemnativum intelligi etiam de opinione *probabilissima* in conflictu, & favente libertati; quando videlicet, ita valde superexcedit in probabilitate opinionem oppositam stantem pro lege, ut hæc, respectu illius, remaneat exigue ac tenuiter vero-similis, adeoque in concursu improbabilis. Tunc enim tametsi operaturus non habeat evidentiam de honestate suę operationis, [alias scientiam, & non opinionem haberet,] nec omnino certo cognoscat actionem suam non esse contra legem, sed reflexè videat, quod motiva & rationes, valde notabiliter præponderantes pro parte probabiliori libertatis consentaneâ, & cui adhæret, absolutè possint esse falsa, & falsam reddere suam opinionem, adeòque habeat formidinem logicam, se tenentem ex parte discursus intellectualis, & quę essentialiter connectitur cum quolibet assensu opinativo ut contradistincto ab assensu scientifico, & Fidei Divinę [quæ formido opponitur certitudini logicæ seu metaphysicæ, secundum quam implicat rem aliter esse): Quia tamen, citra passionem et culpam, seu post diligentem veritatis inquisitionem, judicio firmo & non vacillante, idest excludente omnem moralem formi-

midinem, prudenter judicat, actionem suam esse licitam, cum habeat de propria opinione, in conflictu valde probabiliori, certitudinem moralem, [secundum quam, attentis circumstantiis, & communiter accidentibus, res aliter esse non potest, quamvis absolutè, ac simpliciter loquendo, possit,) quæ reddit conscientiam suam quietam, & immunem ab omni anxietate, an actio sit mala, quia ex parte opposita nil in concursu relevans occurrit, potens ipsum prudenter movere ad formidandum, vel ad suspendendum judicium circa licititatem suæ operationis, idcircò tutò, ac licitè procedit in sequela opinionis *probabilissimæ*, nempe, valde, ac notâbiliter probabilioris suâ contradictoriè oppositâ tutiori, ac stante pro lege. Hæc autem doctrina non militat pro qualibet opinione, utcumque, ac parum probabiliori, in conflictu alterius adhuc exercitè probabilis in favorem Præcepti, & multò minùs pro opinione minùs, aut solùm æquè probabili, concurrente oppositâ stante pro Lege, ut liquet ex dictis.

XXII. Collige quartò, quomodo respondendum sit illi quæsito, an scilicet, Confessarius possit absolvere Pœnitentem, qui juxtà opinionem, quam cognoscit comparativè minùs probabilem, faventem libertati, existimat aliquam actionem non esse mortaliter peccaminosam, puta inire aliquem contractum, quem ipse Confessarius doctus, ac prudens, juxta probabiliorem Sententiam oppositam, quam sustinet, ac stantem pro lege, judicat mortaliter illicitum, & usurarium.

Respondetur enim non teneri, nec posse quemcumque Confessarium prudentem, & doctum, absolvere Pœnitentem, etiam auditâ ipsius Confessione, juxta

illius opinionem minus probabilem, illi notam ut talem; & quam ipse Confessarius juxta probabiliorem Sententiam oppositam, quam sustinet, judicat de facto minus probabilem, imo falsam. Non adduco Authores in favorem hujus responsionis, quia penè innumeros habet, utpote orta ex illa, quæ asserit, non esse licitum sequi opinionem minus probabilem, & faventem libertati, in conflictu suæ contradictoriæ probabilioris, stantis pro Lege. Unde recolenda sunt, quæ docui per totum §. secundum.

Pro intelligentia responsionis.

Notandum primò, signanter me dixisse *quemcumque Confessarium* non teneri, nec posse &c. ad innuendum cum aliquibus ex Thomistis, frustra insudare quosdam Doctores, distinguentes inter Confessarium proprium, & non proprium, seu inter Ordinarium, & Delegatum, & affirmantes de primo, negantes verò de secundo. Frustra, inquam: Siquidem inter unum, & alium nulla datur differentia, seu disparitas quoad absolutionem justè impendendam, aut denegandam, sed solum quantum ad obligationem audiendi, vel non Pœnitentium Confessiones.

Notandum secundò, sermonem fieri de Confessario docto, & prudente. Nam si Pœnitens esset Confessario doctior, & prudentior, & ipsi ostenderet motiva, & rationes suæ opinionis, quam ipse Confessarius minus probabilem existimat, esse fortiores, ac validiores, & eas ut verè tales Confessarius perciperet, posset, & deberet hic opinionem suam relinquere, & alteri adhærere, cum sibi veri-similior, ac probabilior appareret, adeoque secundum eam (quæ tunc sua esset) absolvere

Pœ-

Pœnitentem. Ita sentiunt Mercorus 3.*p.a.* 29. Vuigandt. *tract.* 2. *exam.* 3. *nn.* 30. *ac* 31. & sentire debent omnes DD. etiam Probabilioristæ, in sensu a nobis explanato.

Notandum tertiò, responsionem datam currere, *etiam audita Pœnitentis Confessione*, ad excludendam quorundam opinionem dicentium, quod etsi ante inceptam Confessionem possit Confessarius Delegatus non audire, & per consequens non absolvere Pœnitentem, minus probabili opinioni adhærentem, nihilominus peractâ, seu inceptâ ipsius Confessione, quilibet Confessarius adstringitur ad absolutionem impendendam, propter rationem inferius adducendam. His ergo prænotatis.

Posset probari resolutio, immo remanet probata ex supradictis, in quibus dilucidatum est, nemini licere opinioni minus probabili adhærere, oppositâ probabiliori relictâ, adeoque nec posse, & a fortiori non teneri Confessarium absolvere Pœnitentem juxta illius opinionem minus probabilem contra propriam probabiliorem. Nihilominus, specialiter sic

Probatur. Confessarius est Judex, Medicus, & Doctor respectu Pœnitentis: Ergo sicuti Judex non fert sententiam juxta sensum Rei, nec Medicus pharmacum præbet infirmo secundùm ejus placitum, nec Doctor consilium conformiter ad inclinationem litigantis, sed quilibet ex his, si rectè vult suo muneri satisfacere, non-nisi juxta merita causæ, ac respectivè infirmitatis exigentiam operatur; ita pariter Confessarius non debet, nec potest, juxta opinionem minus probabilem faventem libertati, & placito Pœnitentis, absolutionem conferre, se illi conformando contra propriam con-

scientiam, seu relictâ propriâ opinione, cognita ut probabiliori, & stante pro Præcepto.

Confirmatur. Judex in ferenda Sententia non potest sequi opinionem minùs probabilem, oppositâ relictâ probabiliori, ac tutiori, ut in primo Consectario probatum est. Idem diximus de Medico in curandis infirmis. Et idem asserendum est de Doctore in dandis consiliis. Tum, quia ex imprudenti, ac pravo consilio plura oriuntur detrimenta, & in eo, qui consulitur, & in his, contra quos consilium exercetur. Tum etiam, quia consulens quod minus judicat probabile, magis contra, quam pro veritate consulit; quod rectæ rationi contrarium est. Quocirca a Gallicano Clero, seu Concilio totius nationis Gallicæ, reprobatæ fuerunt sequentes propositiones:

Licet Consultori consilium dare secundùm eam opinionem, quæ ipsi minùs probabilis, minusque tuta videatur.

Si quis sibi vult consuli secundum eam opinionem, quæ sit faventissima, peccat, qui non secundùm eam consulit.

Potest etiam ad libitum consulere, modò secundùm unam, modò secundum aliam sententiam, dummodo caveat, ne incurrat levitatis notam. Si ergo Confessarius est Judex conscientiæ Pœnitentis, & Sacramentalis absolutio se habet *ad instar actus judicialis, quo ab ipso Confessario velut a Judice, sententia pronunciatur*, ut loquitur Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. Si est Medicus spiritualis animæ, juxtà illud D. Greg. Nazianz. [ap. Natal. ubi sup. reg. 29.) *Divinæ animarum medicinæ nos Ministri, & adjutores sumus, quicumque aliis præsidemus:* Si est Doctor ad æternæ salutis monita, & consilia fidelibus præbenda, debet omnino in his omnibus probabiliori, ac semper

tu-

tutiori parti adhærere, juxta modum superius discussum. Alioquin inferendum esset, majori cautela, studio, ac diligentiâ temporalia, & peritura hujus Sæculi tractanda fore, quam spiritualia, & in æternum permansura; quo nihil absurdius a Viro Christiano dici potest.

Respondebis cum recentioribus Probabilistis, disparitatem esse inter Judicem, & Confessarium, quod Judex in foro externo, non ferens sententiam in favorem illius partis, quæ habet potiora jura, damnificat, vel saltem exponit se periculo illam damnificandi. Idem pariformiter asseritur de Medico, ac Doctore propter eandem rationem. Hoc autem non evenit, si quis in foro conscientiæ sequatur opinionem minùs probabilem de honestate alicujus actionis, cùm nullum inde damnum sequatur, nisi ad summum materialis transgressio legis, quæ peccatum formale non est.

Sed contra. Nam hæc responsio, & disparitas, quæ a suis Authoribus tanti æstimatur, nil valet. Tum, quia si ex damno, quòd alteri infertur esset peccatum commensurandum, sequeretur, quod ex Divinæ, ac naturalis Legis formali transgressione, nullum in Deum peccatum committeretur, cum nullum in se Deus detrimentum ex hominum sceleribus patiatur: *Si enim peccaveris* [ait Job 35. V. 6.) *quid ei nocebis? & si multiplicata fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* Ex mala voluntatis dispositione, ac rerum naturâ, non ex damno consecuto, peccatum est ponderandum. Tum etiam, quia peccans mortaliter, quantum in eo est, de facto Deum damnificat, quia ipsum destruit, in quantum ab ipso tollit rationem ultimi finis, eumque in cre-

creatura constituit: Et eapropter si Deus foret in se destruibilis, per peccatum lethale destrueretur. Tum denique, quia, ut superius probatum fuit, eligens opinionem minus probabilem, concurrente, ac relicta probabiliori, peccat, & quidem formaliter, quia voluntariè, ac sine ulla urgenti necessitate exponit se probabili, imò probabiliori periculo legem violandi, adeoque peccat formaliter Confessarius non modò absolvens Pœnitentem contra propriam opinionem probabiliorem, verùm etiam quia cooperatur damno spirituali ejusdem Pœnitentis, scilicet peccato, cum & ipse Penitens, ob eandem rationem, formaliter peccet, adhærendo minùs probabili opinioni, opposità rejectà, quam novit probabiliorem. Num erit a peccato inexcusabilis qui damnum temporale in bonis naturæ, vel fortunæ proximo suo infert, vel inferendi periculo voluntariè se exponit, excusabilis autem, si damnum ipsi, vel etiam sibi infert spirituale? Præterea, num magis cavendum est periculum ne hominibus, quàm ne Deo displiceamus, ejusque Legem violemus?

Solent Adversarii nobis obiicere, primò, quod Sacramentum Pœnitentiæ institutum est ad absolvendum, non ad condemnandum; & idcircò a Confessario favendum Pœnitenti, ac illius favorabiliori opinioni, etsi minus probabili, adhærendum. Secundò, quod Confessarius debet in foro Sacramentali credere Pœnitenti tam contra se, quam pro se dicenti, cum ipse sit Reus, Accusator, ac Testis, & proinde admittendam esse illius opinionem, & juxtà illam absolvendum.

At hæc non urgent. Non primum: Tum quia Pœnitentiæ Sacramentum utique institutum est ad absol-

solvendum, sed tamen per modum recti judicii, & ad ferendam sententiam, non secundum opinionem Rei, quam Judex minus probabilem, imò improbabilem, & falsam cognoscit, sed secundum propriam ipsius Judicis opinionem probabiliorem. Ultra quod, judicium Sacramentale est ad absolvendum Reum legitimè se accusantem, & rectè dispositum: Talis autem non est ille Pœnitens, qui admonitus de suo errore in sequela opinionis minus probabilis, adhuc vult eam sequi, nec acquiescit monitis Confessarii, ejusque opinioni magis probabili, cum aliàs ad hoc teneatur, tanquam Reus, qui tenetur parere justæ sententiæ a Judice prolatæ. Unde, cum ille Pœnitens in hoc casu sit indispositus ad absolutionem Sacramentalem obtinendam, non potest a Confessario absolvi. Tum etiam, quia opinio Confessarii est favorabilior Pœnitenti, cum ejus saluti provideat, ipsumque a peccato, & a periculo Legem probabiliùs violandi tueatur; quod certè non præstat opinio minus probabilis ipsius Pœnitentis, ut pluries in anteactis perspectum dedimus.

Nec etiam urget secundum. Siquidem Confessarius debet credere Pœnitenti quantum ad ea, quæ ad illum spectant ut Pœnitens est, videlicet in quæstione facti, nimirùm, an peccatum commiserit, nec-ne; an cum plena voluntatis deliberatione, vel non; an cum ista, vel illa circumstantia, & hujusmodi: Non verò quantum ad ea, quæ ad ipsum Pœnitentem, ut talem, non pertinent, ideſt in quæstione juris, an scilicet aliquid sit peccatum, vel non; mortale, aut veniale; an sit obstrictus restitutionis lege, vel non &c. In his enim tenetur Pœnitens credere Confessario docto, cum ad ip-

ipsum, tanquam ad Judicem, Doctorem, ac Medicum talium cognitio pertineat; alioquin frustra hic sub mortali teneretur ista omnia, & alia quamplurima scire.

XXIII. Addo, nec posse Confessarium absolvere Pœnitentem, qui de duabus opinionibus æquè probabilibus vult illam amplecti, in qua est periculum violandæ Legis, nisi sit paratus corrigi, ac tutam sui Confessarii opinionem sectari. Hoc remanet probatum ex dictis, ac præsertim in primo, ac secundo Consectario hujus §.

XXIV. Ex his infertur, qùam futilè afferant recentiores Probabilistæ, peccare mortaliter quemcumque Confessarium, nolentem absolvere Pœnitentem, in opinione minus probabili perseverantem, etiamsi talis opinio ab ipso Confessario improbabilis, & falsa cognoscatur; propter iniuriam (inquiunt] quam in re gravi facit Pœnitenti, obligando ipsum ad iterandam Confessionem apud alium Confessarium; nisi Confessio esset vel de solis venialibus, aut Pœnitenti non esset onerosum Confessionem suam alteri Sacerdoti repetere.

Futilè, inquam: Siquidem non modò non peccat in hoc eventu Confessarius absolutionem denegans, verum etiam mortaliter delinqueret si absolveret, ut solidè probatum est: Et certè ridiculum est, plus esse cavendum, ne lædatur chymericum, & inane jus hominis, quod fingitur habere in sequela opinionis minus probabilis, ejus libertati faventis, quam ne offendatur verum jus Dei, ac naturæ, in posthabenda probabiliori opinione, stante pro lege, contra id, quod ipsa lex præcipit, nempe, quod nihil fiat, in quo sit periculum eam probabilius, aut etiam tantummodo probabiliter vio-

violandi.

Insuper, ex Adversariorum principiis eos in hac materia sic falsitatis arguo. Qui probabiliter operatur, prudenter (inquiunt) ac licitè operatur: Sed est opinio saltem probabilis, quod Confessarius non teneatur absolvere Pœnitentem contra propriam opinionem probabiliorem, cum ita doceant omnes Probabilioristæ (qui etiam addunt, hanc eorum opinionem esse probabiliorem, imò veram Sententiam, ut in re est, & in antedictis manifestè liquet): Ergo Confessarius in casu adducto non absolvens Pœnitentem, prudenter, ac licitè operatur; adeoque non peccat. Quid ad hoc respondere possunt? Sed adhuc

XXV. Remanet difficultas, an Confessarius possit saltem dissimulare, ac permittere, ut Pœnitens, qui hactenus bonâ fide, & ex ignorantia invincibili secutus est aliquam opinionem, verè minus probabilem, aut etiam falsam, in posterum permaneat in ipsa, præsertim si prævideat, non profuturam admonitionem, sed Pœnitentem adhuc permansurum, sed malâ fide, in propria opinione.

Dixi *bona fide*: Nam si Confessarius cognoscat, Pœnitentem mala fide, idest scienter sequi opinionem minus probabilem, cognitam ut talem, aut etiam ex errore vincibili, non potest dissimulare, ac absolutionem impendere, (ut constat ex responsione ad ultimum quæsitum,) sed tenetur illum admonere de probabiliori, aut verâ sententiâ eligendâ, quamvis nullus tunc speretur admonitionis fructus. Et ratio est. Quia aliàs Confessarius faceret contra proprium officium, absolvendo indignum, ipsumque in via perditionis relin-

quendo. Ultra quod, Pœnitens admonitus, forsan posset in futurum emendari.

Eodem modo se gerere debet Confessarius, quando ipse Pœnitens est dubius, vel habet moralem formidinem de sua opinione. Quia cum reperiatur in mala fide, ejusque conscientia læsa sit, non potest eum Confessarius in tali statu absolvere, sed admonere tenetur de vera, aut probabiliori Sententia, sive de ipsa interrogetur a Pœnitente, sive non. Et eò magis cum taciturnitatem Confessarii posset Pœnitens in sui favorem interpretari, veluti proprii erroris approbativam.

Item, non esset absolvendus Pœnitens, tametsi ex admonitione Confessarii non emendandus de suo errore, etiam invincibili, quando adesset aliquod damnum, vel tertii, vel &, præcipuè totius Communitatis, puta scandalum &c. Nam bona, vel mala fides alicujus non debet alteri præjudicium inferre, & bonum commune præferendum est bono privato, præsertim quando malum privatum ex propria malitia evenit, ut esset in præsenti. His ergo præhabitis, & præcisa mala fide, & alterius damno.

Ad difficultatem [quæ rarissimè accidere potest, si juxta qualitatem personæ necessaria adhibeatur diligentia ad inveniendam veritatem,]

Respondeo, quod si Pœnitens, bona fide, & invincibiliter secutus est aliquam opinionem in se verè probabilem, estò minus, quam tamen ipse probabiliorem, immo veriorem, seu absolutè veram existimabat, & Confessarius cognoscat se aliquem fructum ex admonitione posse sperare, videlicèt, quod Pœnitens re profundiùs consideratâ, & bene perpensis motivis ab ipso ad-

adducendis, propriam relinquet opinionem, & oppositæ sententiæ ipsius Confessarii adhærebit, tenetur proculdubiò ipsum de probabiliori admonere. Ratio est: Quia aliàs Confessarius non satisfaceret Doctoris officio, quod gerit, non instruendo Pœnitentem bene dispositum ad doctrinam suscipiendam, sed ipsum in ignorantiæ malo relinquendo, & a virtutis via, a parte rei, aberrantem. Ita specialiter Petrucci *Lucer. mor. cap.* 7. §. 1. *nu.* 66. & colligitur ex Mercoro, *p.* 2. *ad.* 14. & 15. ac supponitur a Vuigandt, *tract.* 2. *ex.* 3. *n.* 32.

Si autem Confessarius animadvertat, quod per suam admonitionem Pœnitens non variabit propriam opinionem, quam aliàs ipse Pœnitens existimat, & admonitus adhuc existimabit probabiliorem, adhuc tenetur illum admonere, nec potest eum in sua opinione relinquere, & absolutionem impendere. Et ratio est: Quia cum ignorantia eorum, quæ ad salutem animæ spectant, sit maximum malum, videtur quod Confessarius, qui in Tribunali Pœnitentiæ Medicum, & Doctorem agit, teneatur ex officio malum illud removere, vel saltem ad illud removendum omnem operam navare.

Neque dicas, quod nullus speratur admonitionis, vel instructionis fructus, & aliunde Pœnitens excusatur a peccato propter bonam fidem, in qua versatur.

Etenim rogo, quis Confessarium certiorem fecit, quod ex admonitione, ac instructione Pœnitentis fructus nullus sperari debeat? Quis hoc ei revelavit? Unde hoc colligit?

Respondebis, quod ex dispositione haud dubia, in qua Pœnitentem cernit.

 Sed

Sed contra. Nam per instructionem, & admonitionem Confessarii non-ne fieri potest, ut hanc dispositionem deponat, & aliam induat? Potest profectò illam deponere: Imo, quod eam deponet, sperare omnino debet Confessarius, (sicque casus redditur veluti metaphisicus) maximè si Pœnitens iste humilis sit, si a Deo gratiam devotè imploret: Nam si sit homo in sensu suo pertinaciter abundans, si Divinæ gratiæ auxilium implorare negligens, jam non est amplius in bona fide, non est inculpabiliter ignorans, proindeque sine absolutione est remittendus.

A fortiori, si Confessarius satis probabiliter cognoscat, quod Pœnitens adhærens opinioni minus probabili, quam ex errore, ac ignorantia invincibili ut probabiliorem existimat, si ab ipso Confessario admoneatur de opinione verè probabiliori, adhuc tamen in sua opinione persistet, etsi magis edoctus illam ut sibi probabiliorem noverit, tunc non potest Confessarius dissimulare, ipsumque in tali dispositione relinquere, ac absolutionem concedere, sed tenetur eum de probabiliori opinione admonere, licet non emendandum, & non emendatum a Sacramento reiicere. Ratio est: Quia alias Confessarius absolveret indignum, ac indispositum ad absolutionem recipiendam. Etenim in hoc casu Pœnitens taliter adhæret, ac vult illud obiectum, ut in eo ponat ultimum finem quantùm ad intrinsecam sui dispositionem. Et licet ad hoc non advertat, vel reflectat, re-vera tamen ita est, & sic illud amat, ut nullo modo ipsum ordinet, nec etiam habitualiter, ad Deum tanquam ultimum finem. Cujus evidens signum est, quod in casu, quo cognosceret esse Divinæ Legi contrarium, adhuc,

adhuc, eodem affectu invariato, illud vellet cum gravi offensa Dei: Quod non esset, si ut ultimum finem non diligeret, sed saltem habitualiter ad Deum ordinaret. Quapropter docent Theologi, quod peccatum veniale non avertit hominem a Deo ut ultimo fine, quia Charitas tale prædominium retinet, ut homo habitualiter Deum ut ultimum finem respiciat, in quantum, scilicet, est dispositus, ut potius affectum illum detestaretur, quam Deum lethaliter offendere. Et è contra, quando quis rem aliquam taliter disordinatè diligit, ut potius quam eam odisse, grave in Deum peccatum committeret, etiamsi ad illud non reflectat, dicitur esse in statu peccati mortalis; & illud, quod ex genere suo esset veniale peccatum, fit mortale ex parte agentis, in quantum modo explicato finis ultimus in ipso collocatur; ut habetur ex D. Th. 1. 2. *q.* 88. *a.* 2. & 4. *in c.* Hinc

Reiicienda est doctrina eorum, qui asserunt, posse Confessarium dissimulare, ac absolvere Pœnitentem, qui ex ignorantia invincibili contraxit Matrimonium nullum propter impedimentum dirimens, si ex admonitione, nulla, etiam in futurum, speretur utilitas, sed Pœnitens permanebit potius in diuturno concubinatu, quam Fœminam relinquere. Siquidem tunc Pœnitens ita est affectus erga illam Fœminam, ut eam diligat tanquam ultimum finem: Quia est dispositus [tametsi hoc non cognoscat] potius graviter Deum offendere, quam ab ea elongari; adeoque est in statu peccati mortalis, & per consequens non potest Confessarius dissimulare, sed tenetur eum admonere, quamvis prævideat ipsum non emendandum; alioquin absolveret indignum, & absolutionis incapacem.

Un-

Unde Vuigandt sibi-met ipsi contrarius videtur, cum in hac parte admittat, Pœnitentem posse absolvi, licèt Confessarius prævideat quod *certè* manebit *in diuturno concubinatu*, ut expressè fatetur *tract.16. exam.5.q. 8.n.62. in fin.resp.3.* Negat autem posse absolvi eum, quem Confessarius prævidet non emendandum circa sequelam opinionis minus probabilis, etiamsi de probabiliori, quam tamen hic & nunc invincibiliter ignorat, admoneatur; *eò quia* (inquit,] *Confessor nequit absolvere aliquem, nisi judicet eum dignum, ac ritè dispositum ad absolutionem: Sed hoc Confessor non potest judicare de homine illo, utpote de quo præsumitur, quod non velit intelligere ut bene agat*: Ergo &c. Ita loquitur *tr. 2. exam. 3. q. 10. n. 32.* Quis autem non videat, hanc solidam rationem etiam valere in præallegato casu de Matrimonio?

Tunc solùm potest, ac debet Confessarius dissimulare, ac absolvere Pœnitentem, qui bona fide, ac ignorantia invincibili contraxit Matrimonium invalidum, quando prævidet, & cognoscit dispositum, quantum est ex parte sui, ad corrigendum errorem omni possibili modo, sed timetur scandalum ex separatione, vel aliquod malum ex parte alterius Coniugis, qui forsan nollet amplius consentire, vel permaneret in concubinatu. Et ratio est: Quia Poenitens est in bona fide, cum invincibiliter ignoret impedimentum, & solum materialiter peccet; Et insuper est bene dispositus, quia si admoneretur, totum id præstaret, quod posset ad errorem emendandum: Ergo non debet a Confessario in mala fide, aut saltem dubietate, seu perplexitate inutiliter constitui, quando scandalum prævidetur, vel ex parte al-

alterius Coniugis aliquod malum, ut dictum est.

Hinc patet falsitas illius doctrinæ, quam P. Segneri senior tradit in Opusculo illo, Italico, seu vulgari idiomate composito, cui titulus, *Il Confessore istruito*; ubi *cap.* 7. hæc habet: *Se v'accorgete* (Confessarium alloquitur,] *che il Penitente ammonito del suo male* [de quo supponitur habere ignorantiam, seu inadvertentiam,) *non è per adoperarvi presentemente il rimedio, che si conviene, riserbate le vostre parole ad altro tempo più commodo.*

Patet, inquam, falsitas. Nam hujusmodi Poenitens est indispositus ad absolutionem obtinendam, & est in statu peccati mortalis, ut constat ex dictis. Unde debet necessariò admoneri: Et si quidem resipuerit, absolvendus erit; Sin autem, dimittendus.

PRAXIS, & MONITA PRO COOFESSARIO.

SUMMARIUM.

1. E *Sacris litteris, & PP. expenduntur moderna probabilitatis, ejusque Fautorum, ac Sectatorum in populum Christianum detrimenta.*

2. *Suadetur Confessariis a Probabilismi doctrina, & praxi recessus.*

3. *Duo præ aliis ab eisdem evitanda proponuntur, videlicet, consilium præbere secundum opinionem, quam falsam ipsi existimant, ac absolvere Pœnitentes contra propriam probabiliorem, & veram opinionem, se illorum opinioni opposita, quam minus probabilem putant, imò falsam, conformando.*

4. *An Confessariorum constantia in tuenda Christiana disciplina norma, & veritate, a salutis via, & fructuosa Sa-*

Sacramentorum frequentia populos avertat : Vel potius nimia ipsorum conniventia, & laxieas in sui muneris exercitio, effranatam peccandi assuetudinem, & graviora vitia foveat.

5. *Enumerantur quædam volumina in re morali legenda.*

I. CUncta huc-usque firmata, non obscurè innuunt, quid in praxi a Confessario tenendum. Attamen pro doctrinæ complemento, non-nulla hic Divina & Patrum monita superaddenda.

Caveat ergo Sacerdos ad audiendas Confessiones deputatus, ne sibi humanarum, ac blandientium opinionum sectatori, congruè possint aptari verba, per Ezechielem *cap.* 13. contra quosdam Pseudo-prophetas a Domino prolata : *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur Spiritum suum, & nihil vident. Quasi vulpes in deserto, Prophetæ tui Israel erant. Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. Vident vana, & divinant mendacium, dicentes : Ait Dominus : Cum Dominus non miserit eos; & perseveraverunt confirmare sermonem. Numquid non visionem cassam vidistis, & divinationem mendacem locuti estis? Et dicitis, ait Dominus : Cum ego non sim locutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus; Quia locuti estis vana, & vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus : Et erit manus mea super Prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium. In consilio populi mei non erunt, & in scriptura Domus Israel non scribentur; nec in terram Israel ingredientur; Et scietis, quia ego Dominus Deus. Eo quod deceperint populum meum, dicentes pax, & non*

non est pax: Et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Hi Pseudo-prophetæ sunt Pseudo-Theologi, ac laxiores conscientiarum Moderatores, (inquit Natalis, de peccatis *c.* 4. *reg.* 15.] qui parietem liniunt absque paleis, ideft populum fidelem, qui D*ei ædificatio est*, munire, ac a peccato tutum reddere suis opinionibus audent. Vel, *linire parietem est, peccata aliorum palpando excusare* [ut in eum Ezechielis locum notat Eminentiss. Ugo); quia Confessarii Probabilistæ favent hominum cupiditatibus, ac sensuum illecebris, esto solo luto, & absque paleis, nempe suis, & suorum Authorum placitis, sine ullo Divinæ Scripturæ, Sanctorum Patrum, Conciliorum, Pontificum, Canonum, & solidæ rationis fulcimento. Quid igitur eveniet? *Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura*, (subdit idem Propheta,] *quod casurus sit* paries; & tunc dicetur istis temerè ædificantibus: *Ubi est litùra, quam linistis? Et complebo indignationem meam in pariete, & in his, qui liniunt eum absque temperamento; dicamque vobis: Non est paries, & non sunt, qui liniunt eum*. Damnabitur populus, Probabilistarum secutus figmenta, quia non in totum excusabitur propter ignorantiam vincibilem eorum, quæ debebat, potuit, & noluit, vel saltem scire neglexit: Sed etiam æternaliter punietur Confessarius, & Casuum Doctor, qui Christi-fideles, aut Pœnitentes suos, apparentibus, & fictis Probabilismi deceperit documentis. *Cadet peccator, qui consulitur ab hujusmodi Opinatoribus; & Liniatores, qui sunt ipsi opinantes, cum suis opiniunculis destruentur*. Ita concludit Mag. Gravina in suo Cherub. Parad. *l.* 4 *cap.* 4.

Heu tempora! *magis declinamus ad ea, quæ sunt*

opinabilia, *quam ad veritatem*, inquit D. Clem. Alex. *lib.* 7. *Stromatum*. Et ut D. Hieron. *De duobus filiis*, ait: *Nugas tenemus*, *& fonte veritatis omisso*, *opinionum rivulos sectamur*. Venerabiles Sanctorum PP. & Majorum nostrorum doctrinas non pauci non sequuntur, nonnulli reiiciunt, quidam impugnant. Non defuit, qui affirmaret: *Quæ circa fidem emergunt difficultates*, *e Veteribus haurienda; doctrina morum a recentioribus sumenda*. Haud dissimiliter è Probabilistis alter: *In materia morum majoris facienda sunt Juniorum opiniones*, *quam Veterum*, *majoris viventium hominum consultationes*, *quam defunctorum*. (Auctorum nomina reticeo, ne videar eorum confusionem potius, quam Veritatem promovere.] Ita etiam alius his verbis: *Quærunt casus temporum Doctores temporum*. *Bellus erit Doctor ille Criticus*, *si ex Augustini doctrina dissolvere possit emergentes nodos circa Simoniam*, *Irregularitates*, *Interdicta*, *omnesque Contractus ex Gregorii Nisseni*, *& Nazianzeni placitis componere*. Et conformiter ad hæc extat cujusdam dictum: *In dirimendis controversiis*, *circà agenda enatis*, *potior habetur ratio Doctorum recentiorum*, *qui præsentium temporum*, *morumque conditiones perspectas habent*. Quid insipientius dici, quid horribilius audiri potest? Num SS. Patres, Spiritus Sancti organa, & Ecclesiæ Doctores morum regulas ignorarunt, aut eas nobis non tradidere? Absit: Non ita sentiunt, non ita Concilia, & Pontifices loquuntur. *Ut rectam*, *regiamque Divinæ justitiæ viam sine erroris offensa teneamus*, *Sanctorum PP. Decreta*, *velut inextinctæ quadam*, *semperque lucentes faces*, *sequenda sunt*, ait Concilium Constantinopolitanum IV. *can.* 1. Gelasius etiam L. *epist. V.* ad Honorium Dalmatiæ Episcopum. *Ubi est*, in-

inquit, *quod scriptum est*: " Terminos Patrum tuorum
" non transgredieris: *&*, Interroga Patres tuos, & an-
" nunciabunt tibi; & seniores tuos, & dicent tibi?
Quid ergo tendimus ultra definita majorum, aut cur nobis non sufficit, si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab Orthodoxis PP. & Senioribus singula quæque, vel VITANDA præcepta sunt, vel aptanda Catholicæ veritati; cur non his probantur esse decreta? Numquid, aut sapientiores illis sumus, aut poterimus firma stabilitate consistere; si ea, quæ ab illis constituta sunt, subruamus? Num hodie, temporum varietate, Lex æterna, & natura immutata est, ut id quod antea peccatum erat, peccatum amplius non sit, & vitium in virtutem, virtusque in vitium transformata, ut jam Conscientiarum Directores esse nequaent Sancti Patres, ac affirmari valeat, *Doctrina morum a Recentioribus sumenda*, &, *quærunt casus temporum, Doctores temporum?* Numquid per ferè sexdecim Ecclesiæ Sæcula Simonia absque remedio fuit, Irregularitas incognita, & Contractus absque directione? Numquid apud Græcos, & Latinos Patres Indica vox *Interdictum?* Legatur Margarita Decreti, *V. Irregularitas*, & clarissimè innotescet, quam abundè de Irregularitate scripserint antiqui Patres. Legatur Decretum Gratiani 1. *q.* 1. nec-non 14. *q.* 3. 4. 5. 6. & alibi, an ex Patribus haberi possint dubiorum solutiones circa Simoniam, Usuram, Contractus, & hujusmodi. Legantur D.Thomas, D. Bonaventura, D. Antoninus, aliique multi, & notum fiet, an ex SS. PP. prædicta omnia, & alia plura docuerint, quin ad recentiorum Cusuistarum opus sit recurrere documenta, saltem quantum ad principia proximè regulativa omnium Casuum, qui in præfatis

materiis accidere possunt. Humiliter ergo colat ex Modernis unusquisque, tanquam discipulus, Magistrorum Patrum auctoritates his Ugonis Victorini sensibus: *Quis sum ego, ut effundam Spiritum coram Patribus meis, & Senioribus Israel? Docere Magistros, arguere Seniores, imperare Majoribus superbi spiritus est, & de se ipso præsumentis*. Lib. 1. 3. Misc. cap. 2. Quamobrem idem Ugo *lib. 2. Did. cap.* 14. hæc habet: *Hoc tumoris vitium hinc quibusdam accidit, quod ut cum sibi aliquid esse visi fuerint, alios, quos non noverunt, tales nec esse, nec potuisse fieri putant. Hinc etiam ebullit, quod Nugigeruli nunc quidam, nescio unde gloriantes, Priores Patres simplicitatis arguunt, & secum natam, secum morituram sapientiam credunt.*

Hinc meritò a plerisque Gallicanis Episcopis, & Accademiis, Parisiensi præsertim, & Lovaniensi reprobatæ fuerunt infrascriptæ propositiones.

Doctrina Fidei a Veteribus, doctrina morum magis a Junioribus petenda.

Puto, omnia esse hodie melius examinata; & hanc ob rem in omni materia, & præcipuè in morali, Juniores quam Antiquiores lego, & sequor.

Non ergo opinio improbanda, eò quod ab Antiquioribus non fuerit tradita.

De Sententia DD. antiquorum verum sciri non poterit, nisi ipse Thomas, aut Augustinus, aut alii excitentur a mortuis. Præstat igitur adire vivos, quam recurrere ad mortuos, qui nequeunt mentem suam explicare.

Hæc obiectio, Opinio nova videtur, *Doctum urgere nequit: Nam tota moralis Theologia nova est.*

Liceat ex solo rationis lumine dijudicare, quando quis privatus possit pro tuenda vita, vel bonis, vel bonore, aliquem

quem occidere. Apud Natal. *ubi sup. reg.* 18.

II. Tu igitur, o Sacerdos, cum tot inspexeris Casuum Liberculos, & Probabilistarum Volumina, *non sequèris* hujusmodi Scriptorum *turbam ad faciendum malum*, *nec in judicio* Sacramentalis Pœnitentiæ *plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies*. Exod. 23. 2. *Cum videris multos non solum hæc facere*, [nempe quam-plura crimina ab Augustino commemorata lib. de cath. rud. c. 3.) *sed etiam defendere, atque suadere, tene te ad Legem Dei, & non sequaris prævaricatores ejus: Non enim secundum illorum sensum, sed secundum illius veritatem judicaberis*. Recentiorum inventa sensus libertati consentanea, & Pontificum, Conciliorum, Patrumque documentis adversantia torvis oculis intuere, ac intimis præcordiis insectare. Mente tua non excidat, quod scripsit Sixtus III. Epist. 2. *Nihil ultra liceat novitati, quia nihil adiici convenit vetustati*. Et Celest. 1. Epist. 1. cap. 1. *Desinat infestare novitas vetustatem*. Tibi consonet ad tantæ novitatis attingendam originem, quod *in Epitom. Canon. Prælim. ad Lect.* habet Eminentiss. Card. Brancatus his verbis: *Cogitanti mihi, seriòque indaganti* [*candide Lector*] *unde-nam, haud multis ab hinc annis, tanta circa morales doctrinas, nec-non & judicia, in Christianum Orbem irrepserit laxitas, effrænisque in privato quolibet opinandi, & ad utrumque saltitandi libido, fœliciter occurrit, id inde sumpsisse exordium, quod Spiritus- Sancti* Eccli. 8. *contempto Magisterio, narrationes Patrum nostrorum prætereuntes, propriæ innixi prudentiæ, nostris nimium indulgeamus affectibus, nec amplius ad amussim lapidem, juxtà Philosophi præceptum, sed ad lapidem amussim aptare contendamus: Non, inquam, Legi voluntatem subiicimus, sed Legem ip-*

sam

ſam ad voluntatem trahere non formidamus. Eòque proinde res pervenit, ut in permultis, (ne omnia, ut par eſſet complectar,] quid loquendum, quidve fugiendum, ob garrulitatem opinantium, penitus ignoretur; talique inſuper probabilitatis involucro cohoneſtentur ſingula, ut nullum jam ſuperſit agibile, in cujus gratiam bivium protinus non ſit paratum certiſſimum; & quæ perpetuò huc-uſque pugnantia prædicata fuere contradictoria, concordi connubio, veri, honeſtique paritate, Opinatorum beneficio gaudeant coiviſſe. Dolui quidem, & ingemui, nec dolere deſinam, donec medeatur ex alto viſitans Dominus. Et poſt pauca, ſubdit: *Novas vitando Doctrinas, hæreſes vitabis: iſta enim, ut legitimæ ſoboles novitatum, parentes perenniter eas agnovere.*

Ad juſtam Divinæ ultionis iram, in Chriſtianum populum hanc puto evenire calamitatem, ut de non paucis Doctoribus, & Confeſſariis dici poſſit: *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad Pœnitentiam provocarent. Viderunt autem tibi aſſumptiones falſas, & ejectiones.* Thren. 2. 14. Olim dictum fuit, *Quis decipiet Achab?* 3. Reg. 22. *V.* 20. & ſpiritus nequam reſpondit: *Ego decipiam illum; & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus.* Ib. *V.* 22. Ita & nunc in Eccleſia ad impiorum punitionem permittit Deus, ut ſit *ſicut populus, ſic Sacerdos.* Oſeæ 4. 9. Ad ſuarum tutelam cupiditatum, ex Fidelibus permulti quærunt laxæ Doctrinæ Confeſſarios; *Loquimini nobis placentia* (inquiunt cum eis, quos redarguit Iſaias cap. 30. *V.* 10.] *videte nobis errores*, ideſt *ſinite nos errare*, ut explicat ibi Eminentiſs. Ugo. At quam abundè in ſuam exaudiuntur perditionem! *Propheta profeta-*

tabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis; & populus meus dilexit talia. Jer. 5.31. Hoc totum de deplorabili animarum pernicie verificatur ex nimia Confessariorum conniventium, & crimina palpantium, opinandi libertate.

III. Duo præ aliis monstruosa, omnibusque Confessariis detestanda sunt quorundam Probabilistarum placita. Primum est: *Consultum aliquem, aliqua de re, posse respondere secundum opinionem probabilem, quam ipse falsam judicat*. Verùm

Ne tam contraria rectæ rationi via perdat animas, (ita monet Confessarios suæ Diœcesis Illustriss. Archiepiscopus Rhotomagensis in Epist. Pastorali anno 1697. editâ) *attentius, quæso, cogitate consuli vos tanquam sinceros, & veraces Magistros, qui debent docere viam Dei in veritate; consulentibus nihil aliud respondere vos oportere*, quam quod præceperit Deus, (ex num. 22. 20.] *reposciturum hunc a vobis in die furoris sui rationem animarum, quas, falsarum opinionum blandimentis veluti sopitas, in errorem induxeritis; denique non posse indignius a vobis violari ministerium, munusque sanctissimum, quod geritis, quam serviliter blandiendo cupiditatibus hominum carnalium &c.* Quis hanc non horreat doctrinam, posse, videlicet, Sacerdotem suo Pœnitenti id consulere, quod potius credit falsum, & a Lege devium, quam verum, & Legi conforme, potius eum adTartara, quam ad Cœlos ducere, ne ipsi aliquam temporalem corporis molestiam inferat, vera, & tuta ipsi suadendo, ad eaque, tametsi sensualitati adversa, obligando?

Alterum assertum est, absolvendum esse Pœnitentem juxta illius opinionem, quorundam Doctorum autho-

thoritate fulcitam, quam tamen Confessarius falsam existimat. Sed

Ne a vobis temerè concedatur tam irrita, & falsa pax, perniciosa dantibus, & accipientibus nihil profutura (ex D. Cypr. subdit idem præstantissimus Præsul): *Memineritis vos in Tribunali Confessionis gerere vices ipsius Christi, atque adeò neminem a vobis solvendum, nisi quem solutum ab eo in cœlis arbitrari fas est...... Falsis hisce regulis constanter a vobis opponatur illud insigne Summi Pontificis Felicis III. effatum, quod in regimine animarum vestris oculis semper observari præsens cupimus:*" Quod se decipit, qui fallit, nihilque per nostram facilitatem tribunalis excelsi judicio derogari, cui illa sunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ justa sunt.

Optimè quoque D. Bonaventura (ap. Genettum *to.* 4. *tr.* 7. *c.* 10. *q.* 5. *erga finem*] ita exclamat: *O inauditum philosophandi genus! Judex sententiam ferre debet ad arbitrium Rei, & Reus Judicis judicio obtemperare non tenetur.* Quid possunt ad hæc obiicere Probabilistæ?

IV. Hoc forsan, quod ni Confessarii studeant Pœnitentibus indulgere, & juxtà benignas Modernorum opiniones eorum conscientias dirigere, ac absolutionem impendere, Templorum, & Pœnitentiæ Tribunalium frequentiam omittendam, ac solis Pauperibus, non autem divitibus Sacramenta ministranda. Igitur aut Confessarii officium esse dimittendum, aut probabilitatis doctrinam in praxim deducendam.

At hisce pusillorum terriculamentis minimè moveatur intrepidus Christi Minister. Siquidem falsum est, sanioris doctrinæ regulis in hoc Scrutinio traditis, & Evangelicæ disciplinæ conformibus, Chistifideles, pro-

propriæ salutis sollicitos, a Sacramentis elongandos. Quinimò experientia demonstrat, quamplurimos etiam ex Nobilibus utriusque Sexus, etiam ex Magnatibus, ex Principibus, viam salutis ingredi, & maximæ perfectionis iter arripere, non sine aliorum imitatione, ex quo fidum, pium, ac doctum, sibi de Cœlo datum, conscientiæ moderatorem invenere, tuta, & vera, non probabilia, & laxa suadentem, & qui homines, in vitiis penè demersos, ad Legis observantiam, ad virtutem excitaret, erigeret, traheret, veluti compelleret. Et num antequam nova erumperet Probabilistarum falsa, & fallens benignitas, solitaria jacebant, ac aranearum telis circumquaque obducta, Sacramentalis Pœnitentiæ Tribunalia? Num vacua Pœnitentibus, Christique adoratoribus Templa? Imo quia tunc a Concionatoribus, & Confessariis terror impiorum cordibus incutiebatur, non molliens pruritus excitabatur, idcircò uberrimus divini verbi, & Sacramentorum fructus apparebat in conversione Peccatorum, odii extinctione, vanitatum contemptu, iniustè ablatorum restitutione, ac rigorosissimæ sensuum mortificationis exercitio. Et hoc ideò, quia *lex Domini immaculata* (non probabibilitas, non Confessariorum conniventia, dicam blandimenta,) *convertens animas*. (Ps. 18. 8.) E contra, hoc tempore, tantâ Sacramentorum frequentia, nullam experimur in populis a vitiis emendationem, nullam a detestabili promiscui sexus conversatione fugam, nullam in educanda prole curam, nullam a carnalium voluptatum cœno depurationem. Qui in sordibus est, sordescit adhuc; qui furabatur, etiam rapit; augentur pompæ usque ad excessum; non solvuntur debita; fastus crescit; minuun-

tur eleemosinæ; Scandalosa Fœminarum immodestia in pectoris, uberum, & brachiorum nuditate, è cœlo fulmina trahit: Dei Templa, vestium luxu, oculorum petulantia, cachinnis, & nugis, omnique dissolutionis genere impunè profanantur; Juvenes, ac Puellæ, ad plures annos, carnales amores protrahunt, in eisque computrescunt &c.

Quid ergo agitis, o Sacramentorum Ministri? Itane dormitis, ne vel tantisper inspiciatis tot malorum colluviem, Fidelium animas turpiter fœdantem? *Quid enim Ecclesiam Domini hodie perdit, nisi Confessorum, & Pastorum blandiens adulatio, deliniens, demulcensque assentatio?* Ita vos terret D. Thomas de Villanova. (in serm. fer. *6.* post Dom. 4. Quadrag.] At væ vobis, si de illorum numero estis, de quibus Purpuratus Bellarminus [*conc.* 8. §. 2.] scribit, his verbis: *Illi se Ministros, & Dispensatores non agnoscunt, qui quasi non essent Domino rationem reddituri, summa facilitate omnibus manus imponunt, & tam contritos, quam non contritos absolvunt; isti sua imperitia, & superbia corrumpunt populos, & eis veræ pœnitentiæ viam præcludunt; nec enim esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi. Sed væ vobis, cum Dominus rationem ponet cum Servis suis! Illi, ambitione, vel pecuniarum cupiditate, vel utraque stimulante, Viris divitibus, & nobilibus, nec solum Viris, sed etiam Fœminis, (quod nefas est, & horrendum) turpiter adulantur ..... Pudet profectò hæc referre; Sed quid agemus, cum multos non pudeat ista facere, & se ipsos, & eos, quibus serviunt, in gehennam perducere?*

Sacerdos igitur ad excipiendas Confessiones deputatus, compescat peccata, non blandiatur peccantibus:

Qui

Qui enim *vitiis nutriendis parcit, ne contristet peccantium voluntatem, tam non est misericors, quam qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem, & non timet, ne vulneratum doleat, vel extinctum.* Aug. ad Lothar. relat. 23. *q.* 5. can. *Qui vitiis*. Talis ex Probabilistis quilibet, opiniones demulcentes, contra rationis dictamen, Deique præcepta, inimicâ benignitate suscipiens, & ad praxim deducens, ut meritò inter eos cooptari debeat, contra quos acriter invehit Isaias, dicens: *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: pax, & non erat pax*. Cap. *6.* 14. Procul a nobis hæc nota; sed imperterritâ animi fortitudine, aperiantur peccantium vulnera, & secentur, non liniantur; *Vociferetur, & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem; gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem. Emersit enim novum genus cladis, & quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum, sub scientiæ titulo, malum fallens, & blanda pernicies* (nempe moderna probabilitas) *contra Evangelii vigorem, contra Domini, ac Dei Legem, temeritate quorundam, laxatur incautis communicatio...... Non concedit pacem facilitas ista, sed tollit. Nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem.* D. Cypr. *lib. de lapsis*.

V. Ut autem Confessarius sanam valeat in moralibus suscipere Theologicam doctrinam ad sui aliorumque profectum, summoperè juvat, imò necessarius omnino est optimorum in tali materia Voluminum delectus. Multis Casuistarum Libris Orbis universus exuberat: At utinam eorum plurimi nunquam prodiissent in lucem! Ut veras, & inconcussas decantant ipsorum Authores, quas edunt Resolutiones, & Asserta (futilibus aliàs, &

apparentibus tantum ratiunculis innixa]; & tamen falsa sunt, etsi fraudolenter Lectorum imperitiorum animos decipiant. Eapropter optimum duxi quorundam insignium Scriptorum opera in morali facultate indicare, ut ea, vel saltem eorum aliqua possint Confessarii sibi comparare ad suum munus dignè, ac salubriter exercendum.

SYNTAXIS AUTHORUM.

PRæ primis laudandæ sunt *Prima Secundæ*, & *Secunda Secundæ* Summæ Theologicæ Communis Doctoris D. Thomæ Aquinatis, quæ de primariis moralitatis principiis, de Vitiis, & Virtutibus omnibus, de Jure, ac Justitia, de Legibus, de Statibus, aliisque plurimis in universali, & in particulari eximiè tractant. Item ejusdem Summæ *Tertia pars cum supplemento*, ubi Angelicus Præceptor clarissimè promit de Sacramentis Doctrinam.

DOMINICUS SOTO Ordinis Prædicatorum, Vir eruditionis sublimis, in Salmanticensi Accademia primarius Professor, Caroli V. Imperatoris quondam a Sacris Confessionibus in *quartum librum Sententiarum* præclarissima edidit Commentaria duobus Tomis comprehensa, Sacramentorum materiam abundè pertractantia; nec-non libros decem de *Justitia*, *& Jure*, in quibus solidè complexus est, quidquid non-nulli alii postea in hac materia scripsere. Hic Doctor in Tridentina Synodo contra Hæreticos ita publicis disputationibus invaluit, ut a Patribus ejusdem Concilii illustri hoc Stemmate insignitus fuerit, videlicèt, Flammâ ex duabus complexis manibus egrediente cum hac Epigraphe: FIDES, QUÆ PER CHARITATEM OPERATUR.

MAR-

MARTINUS VUIGANDT Ord. Præd. in Viennenſi Univerſitate Doctor, integrum Opus morale compoſuit, cui titulus: TRIBUNAL CONFESSARIORUM, brevi Stylo cunctos moralis Theologiæ Tractatus exponens. In ſecunda editione Veneta Typis Pezzanæ ſuis locis appoſitis, quæ Author in prima, Appendicis ſubſidio, immutaverat, vel addiderat.

ALBERTUS DE ALBERTIS Societatis Jeſu, quoddam evulgavit Volumen inſcriptum: *Paradoxa moralia de Ornatu Mulierum*: In quo de immoderato Fœminarum ornatu in genere, ac de pectoris nuditate in ſpecie, de proxima occaſione peccandi, de Scandalo &c. luculenter, ac validis diſſerit argumentis. Opus verè aureum, & omni laude dignum.

FRANCISCUS GHETIUS Ord. Præd. S. Theol. Mag. ex Operibus Angelici Doctoris alphabeticè collegit, & præclariſſimis Commentariis illuſtravit omnes Thologiæ moralis Tractatus, in quatuor Tomos diſtributos hoc titulo: *Theſaurus animæ*.

SYLVESTER DE PRIERIO Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, (primus, qui contra Lutherum ſcripſit,] Summam Theologiæ moralis compoſuit duobus Tomis diſtributam, quæ propter Juris Canonici peritiam, & eruditionis affluentiam, meritò *Summa Summarum* nuncupata eſt.

NATALIS ALEXANDRE Ord. Præd. Pariſienſis Facultatis Doctor, Theologiam Dogmaticam, & Moralem edidit: Opus Clericis, Theologis, Parochis, & Confeſſariis, quinimò & Concionatoribus perutile.

FRANCISCUS GENETTUS Epiſcopus Vaſionenſis, ſeptem Tomis, præcipuas totius materiæ moralis dif-

difficultates clarâ Methodo expofuit, eafque variis Sanctorum Patrum doctrinis, Pontificum, Conciliorum etiam Provincialium, ac Synodorum Italiæ Decretis illuftravit.

JOANNES BAPTISTA GONET Ord. Præd. in Academia Burdigalenfi Anteceffor, totam Theologiam in fuo magno *Clypeo* Thomiftico, (& compendiosè in *Manuali*] nitidè, ac nervosè agitatam collegit. Ubi in re morali nedum abundè agit de Sacramentis, verùm etiam de principiis moralitatis, de Præceptis, de Peccatis, de Virtutibus &c. itaut in his nil ampliùs defiderandum videatur, faltem quò ad principalia.

THYRSUS GONZALEZ Soc. Jefu Præpofitus Generalis, Volumen egregium luci donavit, De recto ufu opinionis probabilis.

JOANNES BAPTISTA MAYOL Ord. Præd. præclarus Theologus, fcripfit de Præceptis Decalogi, necnon libros de Juft. & Jur. in quibuf præcipuas morum materias folidiffimè pertractat.

PETRUS DE SOTO Ord. Præd. de quo Joannes de la Cruz in præf. Direct. ita effatur: *F. Petrus Soto Vir acutiffimo ingenio, & vitæ fanctitate confpicuus, poftquamrelicta Curia Caroli V. Cæfaris, cui a Sacris Confeffionib s per aliquot annos fuerat, ad humilem Patrum fuorum vitam reverfus, Hæreticorum furentium impetus in Anglia, & Germania prælectionibus, difputatioxibus validiffimè fregiffet, eorumque Antefignanos in mendacio exultantes Dilingæ in Germania, & in Anglia Oxomenfi Academia repreffiffet, mutofque reddidiffet, Sacram Divi Thomæ Theologiam cum uberrimo Catholicorum fructu publicè ibidem interpretatus, tandem ad OEcumenicum Concilium Tri-*

Tridentinum a Pio IV. missus, in publica Patrum Congregatione Doctores hæreticos a Duce Uvittembergensi ad Concilium missos (quorum præcipuus Hæresiarca ille Brentius) ita gloriosè confutavit, ut non solùm consulendo, verùm etiam sententiam ferendo, summa illius Sanctissimi Consessus approbatione, admiratione, & acclamatione, omnium consensu, Theologorum [sui temporis) *Princeps judicatus sit &c.* Hic ergo præstantissimus Doctor, inter alia ingenii sui monumenta, Tractatum nobis reliquit *De institutione Sacerdotum, qui sub Episcopis animarum curam gerunt*, ab omnibus Confassariis, aliisque personis Ecclesiasticis summoperè æstimandum. Qui quam præclarus sit, coniicere quisque potest ex verbis Eminentissimi Card. Othonis Episcopi Augustani, suæ Diœcesis Capitulis, Decanis, Plebanis, Curatis &c. encyclicè sic scribentis: *Damus igitur vobis doctissimi, simul & pientissimi, & nunquam satis laudati hujus Viri, de Instit utione Sacerdotum librum, omnibus, qui curam animarum suscipiunt non solum utilem, sed etiam necessarium..... Ideoque Professoribus Scholæ nostræ*, (scilicet Clericorum] *iniungimus, ut hunc librum Discipulis perpetuo quodam ordine a principio usque ad finem legant, & finitum rursus legere incipiant, atque hujusmodi lectionem ad eundem modum singulis annis continuent.... Ita enim a nobis certò constitutum est, & Examinatoribus mandatum, ut non alios ad Sacros Ordines suscipiendos admittant, quam quos prædicto modo instructos esse deprehenderint.*

JULIUS MERCORI Ord.Præd. Sancti Officii Mantuæ Inquisitor Generalis, *Basim Theologiæ moralis* fundavit, ita firmam, & solidam, ut super eam fabricaverint ferè omnes alii, qui circa opinionum delectuml auda-

biliter poſtea inludarunt.

PETRUS MARTYR PETRUCCI Ord. Præd. *Lucernam moralem* accendit, ut omnibus exquirentibus Veritatem generalia totius moralis doctrinæ præcepta dilucidè patefaceret.

CHRISTOPHORUS A S. JOSEPH Ord. Carmelit. Diſcalceat. Procurator Generalis in Curia Romana pro Congregatione Hiſpaniarum, eximium Opus *de regulis morum* Typis dedit, videlicèt de prima, & ſecunda regula morali, de conſcientia recta, erronea, & probabili.

In percurrendis præfatis Voluminibus facillimè Lector dignoſcet, quænam alia inquirenda ſint, ac perutiliter evolvenda.

FINIS.



ERRATA			CORRIGE
Pag. 7. lin.	15.	probationum	probativum
8.	15.	opinionem	opinione
9.	22.	cofcientia erenea	confcientia erronea
10.	5.	tibi	fibi
11.	19.	*excufetur*	*excufatur*
12.	21.	avertenda	advertenda
13.	15.	periculo exponere	periculo fe exponere
17.	2.	Tutiftæ	Juriftæ
20.	10.	remanet	remaneat
ibid.	19.	adimpleɛtionem	adimpletionem
21.	17.	reprobanda	reprobata
36.	4.	*quin*	*quia*
38.	9.	abtortæ	obtortæ
41.	28.	Canius	Camùs
50.	17.		VIII.
62.	5.	quilibrio	æquilibrio
ibid.	25.	ſit	fit
69.	1.	moventur	movetur
73.	3.	*licitum in*	*licitum pingere in*
ibid.	4.	formalirer	formaliter
74.	17.	licitate	licititate
83.	8.	Apoftotolicam	Apoftolicam
95.	18.	probabiles	probabile
103.	22.	fruftra	fruftra
104.	6.	Probabiliftarum	Probabilioriftarum
107.	22.	fedexcim	fexdecim
123.	26.	fruftaretur	fruftraretur
125.	11.	effe	effet
ibid.	24.	oftendi	oftendit
128.	31.	licitate	licititate
133.	6.	potuffet	potuiffet
136.	7.	propriffima	propriiffima
140.	4.	Advetfarios	Adverfarios
148.	18.	peccat	peccet
160.	30.	pro pro	pro
175.	8.	peralogifticè	paralogifticè

ER

		ERRATA	CORRIGE
187.	18.	indicando	judicando
189.	25.	glorioforem	gloriofiorem
194.	1.	ffirmativam	affirmativam
195.	1.	tibi	fibi
208.	4.	affectum	effectum
ibid.	25.	alterutram	alterutrum
212.	11.	fmndamento	fundamento
213.	21.	*quo Doctor*	*quo modo Doctor*
214.	17.	Corradum, Summenhart	Corradum Summenhart
217.	3.	operandi?	operandi.
220.	12.	*Ut, inquam, Peguletus refpondeat, ita fcribit.*	Ut, inquam, Peguletus refpondeat, ita fcribit.
ibid.	31.	probabit	probavit
221.	19.	volens	nolens.
225.	22.	efclufionem	exclufionem
237.	23.	plaudeat	plaudat
239.	12.	fic antiquus	fit antiquus
248.	5.	obligat	obligabat
ibid.	30.	adftringatur ad	adftringatur, ad
254.	9.	*Ad textum*	*Ad tertium*
255.	27.	trafgreffionis	tranfgreffionis
ibid.	29.	impleverit omnes	impleverit, omnes
256.	23.	effe non motivum	effe motivum
259.	6.	proximiu	proximiùs
263.	5.	dominium	dominum
ibid.	6.	dominium	dominum
265.	16.	conducitur	conducatur
271.	15.	Lodefma	Ledefma
273.	25.	*quorum*	*quoniam*
275.	29.	probailitatem	probabilitatem
280.	1.	privatur	privetur
282.	15.	Pœnitentiæ, non	Pœnitentiæ,] non
288.	7.	xquilibrio	æquilibrio
291.	6.	Nihilominus	Nihilominus

		ERRATA	CORRIGE
292.	1.	Sed no	ſed non
294.	23.	minus, ſua	minùs ſua
311.	15.	COOFESSARIO	CONFESSARIO
312.	2.	*laxieas*	*laxitas*
315.	15.	nequaent	nequeant
325.	18.	Thologiæ	Theologiæ
326.	23.	poſtquamurelicta	poſtquam relicta
327.	11.	Confoſſariis	Confeſſariis

TYPOGRAPHUS LECTORI.

EO infœlix videtur eſſe Typographorum induſtria, ut opus quantolibet ſtudio elaboratum, a mendis tamen prorſus immune publica luce donare non poſſint; Idque potiſſimum fieri ſolet, cum ex Amanuenſis incuria vitiatum exemplar, inſcio Authore, imprimendum ſuſcipiunt. Quæ quidem omnia cum mihi contigerint, ubi in hoc a me edito Opere errores irrepſiſſe non paucos inveneris, hoc potius meo malo fato, quam negligentiæ attribuas, etiam atque etiam rogo.

